PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ CONCORDIA ET UTILITAS SUB...

Filippo Gondi

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ CONCORDIA ET UTILITAS

SUB AUSPICIIS
REGIÆ CELSITUDINIS
JO: GASTONIS I.
MAGNI ETRURIÆ DUCIS

ILLUSTRATA AC PUBLICE PROPUGNATA

A PHILIPPO GONDI

PATRITIO FLORENTINO
FLORENTIÆQUE IN COLLEGIO
PATRUM SOCIETATIS JESU
UTRIUSQUE PHILOSOPHIÆ AUDITORE.

FLORENTIÆ. MDCCXXV.
Typis Regiæ Celſitudinis apud Tartinium & Franchium.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

102

PROLUSIO.

PRæclarè, ſapienterque a Pherecyde Syro dictum accepimus, REGIA CELSITUDO, *Auditores Ornatiſſimi*, Supremum Mundi Opificem, cùm hanc rerum univerſitatem condere vellet, pro ſummâ, quâ ardebat cupiditate, ſua aliis bona donandi, atque largiendi (*a*) in Amorem ſeſe transformaſſe.

Unus erat toto Naturæ vultus in Orbe
Quem dixere chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.... (*b*)
Obſtabatque aliis aliud, quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

(*a*) *Pherecydes* apud Proclum in Timæum Platonis.

(*b*) *Ovid.* 1. Metam. ſub init.

Digitized by Google

Cùm Amor immortalium pulcherrimus Solis inſtar cęco fluctuantis materiæ acervo affulgens, hanc litem diremit, corpora quæque antea invicem pugnantia in ordinem redegit, &.

Dissociata locis concordi pace ligavit. (*c*)

Hinc non ſolùm Græci cum Heſiodo, (*d*) Pherecyde, ac Parmenide; (*e*) ſed etiam Phœnices cum (*f*) Sanchuniathone, & Ægyptii (*g*) cum Mercurio Amorem non popularem, & noxium, ſed cœleſtem, ac beneficum pro rerum principio poſuere. Non aliâ ratione, quisquis veterum, ac recentiorum Philoſophorum diſcordes ſententias intueatur, deprehendet quidem plura veritatis ſemina hìc illic ſepulta, atque involuta; ſed ex acri diſſidentium animorum diſcordiâ, dum alii aliis obſtant, quæ in unaquaque ſectâ præclara ſunt in unius ſcientiæ ordinem redigi vix poſſe exiſtimabit. Nihilo tamen minus, ſi quis generalis ſcientiæ principium aut etiam Elementum, ut vult Damaſcius, Amorem ſtatuat; mirabitur ex tanto, tamque diuturno partium diſſidio illic naſci, totidem veluti ſtellas, fulgentiſſima lumina; hinc multiplices copioſosque veritatis fructus erumpere, inde uberrimos doctrinæ fontes, ac flumina oriri; eâ ſingulorum conſenſione, ordine, atque in unum conſpiratione, ut rerum univerſitas quam ſibi contemplandam Philoſophia proponit, non unius ſcholæ anguſtis limitibus incluſa, ſed in ampliſſima totius Naturæ ſpatia protenſa, Mundi nomen mereatur. Atque hoc quidem philoſophandi genus, ut pleræque artes, natum eſt in Ægypto cum Potamone Alexandrino (*h*) Eclecticæ Sectæ parente: quamquam jampridem a Platone, atq; ab Ariſtotele conceptum dicere quis poſſit, quòd uterque veterum Sapientum dogmata atque inventa tum quæ ad Dialecticam, tum quæ ad Phyſicam, tum quæ ad Ethicam pertinent-

(*c*) *Ovid.* ibid.

(*d*) *Heſiodus* in Theogonia V. 120.

(*e*) *Parmenides* apud Ariſt. 1. Metaph. ſummâ 2. Cap. 2.

(*f*) *Sanchuniathon* apud Philon. Byblienſem, hic apud Euſebium Præpar. Evang. l. 1. c. 7.

(*g*) In Hieroglyphico Animæ Mũdi, de quo vide Kirkerum, to. III. Oedip. in menſa Iſiaca.

Digitized by Google

nent in ſuam Philoſophiam novarum rerum acceſſione auctam transferre ſtuduerit. Ex quibus *una & conſentiens* (ſaltem in fundamentis ac præcipuis partibus) *duobus vocabulis Philoſophiæ forma inſtituta eſt, Academicorum & Peripateticorum qui rebus congruentes, nominibus differebant* (*i*). Verùm decurſu temporis ut varia ſunt hominum ingenia præter externa Epicureorum, aliorumque diſſidia, *multi Platonici, & Ariſtotelei Suos inter ſe Præceptores aliquando contendere impulerunt, allato e ſingulis in medium quid cuique meditato videretur, & eò uſque audaciæ & contentionis proceſſerunt, ut & ſcripta præceptorum ſuorum depravarent, quò magis viros inter ſe pugnantes exhiberent.* (*k*) *Atque ea perturbatio philoſophicis exercitationibus illapſa perduravit uſque ad Ammonium Theodidactum. Hic enim primus æſtu quodam raptus ad Philoſophiæ veritatem, multorumque opiniones qui magnum dedecus Philoſophiæ afferrent contemnens utramque ſectam probe calluit, & in concordiam adduxit, atque a contentionibus liberam Philoſophiam tradidit Auditoribus ſuis univerſis.* Patres & Philoſophi, qui deinceps uſque ad tempora barbara ſequuti ſunt, partim Academicis, partim Peripateticis faviſſe inveniuntur: Contra vero poſt Arabum in Hiſpaniâ imperium ſolus ferè Ariſtoteles in ſcholis regnare viſus eſt. Donec Theophraſtus Paracelſus, Marſilius Ficinus, & poſt Galilæum, Carteſius, Gaſſendus, Newtonus, aliique Recentiores Clariſſimi variis de cauſis, quas hìc commemorare non eſt neceſſe Philoſophorum Rempublicam in varias Turmas diſtraxerunt. Verùm (quis credat?) ex hac ipsâ ſeceſſione, quemadmodum ex diviſione filiorum Noë, novi Terrarum tra-

(*b*) *Diogen. Laërt.* in Proëm.

(*i*) *Cicero* 1. Acad. QQ.


(*k*) ὅτι πολλοὶ τῶν ἀπὸ πλάτωνος &c. *Hierocles* L. de Provid. ap. *Photium* cod. 251: hic autem Ammonius Magiſter Plotini, & Origenis Chriſtianus fuit, & floruit III. Chr. Sæculo longè diverſus ab Ammonio Peripatetico qui V. Sæc. edidit comm. in Ariſtotelem Cùm autem dicitur *Primus*, intellige Reſtitutorē, non Parentem.

ctus habitari cœperunt, nova ſulcari maria, nova detegi in Cœlo ſidera. Quid ergo reſtabat, niſi ut aliquis Columbus, aut Americus novum Orbem veteri monſtraret, alterumque cum altero ſtabili commercio conjungeret? Horum ego virorum Societatem ſequutus, poſt longam diuturnamque navigationem velut in tranquilliſſimæ pacis portum me recipiens ad REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS umbram confugio. Nam quid non ſperem in aulâ MEDICEA, cujus adhuc Privata domus Philoſophiam Græcam Turcarum Tyrannide finibus ſuis extorrem excepit atque aluit? Quid non ſperem ab eo Principe, cujus Majores in ipſo ſolii faſtigio Galilæum, alioſque Recentiores Philoſophos ampliſſimis redditibus & muneribus cumularunt? Quid non ſperem ab optimo Paternæ virtutis hærede, ac Succeſſore, quando COSMUS III immortali memoriâ Princeps beneficio numquam ſatis æſtimato ad meorum ſociorum preces *utriuſque Philoſophiæ* (cùm Veteris, tùm Novæ) *Patronus* audire non eſt dedignatus, (*m*) & in ſuo Lyceo *ſanciti inter utramque fœderis Auctor* appellari? Ad idem fœdus ſtabiliendum invitat hoc tempus quo Europa univerſa, & totus Chriſtianus Orbis pace fruitur, cujus quanta pars ſis nemo non videt. Alliciebat præterea Veterum, ac Recentiorum ſapientia, cui ab ineunte ætate ita animum adjeciſti, ut illi omnes donares amores. Excuſat demum audaciam reverentia in duos Senatores amantiſſimos, Parentem, ac Fratrem meum, qui me conſiliis, & juſſu adegerunt, ut quamvis pauper aquæ rivus ad Oceanum decurrerem, & hoc qualecumque obſequii pignus offerrem. Tuâ igitur fretus ſingulari Clementiâ, & potentiſſimo Patrocinio roboratus, meæ immemor imbecillitatis, utriuſque Philoſophiæ Utilitatem, atque Concordiam propugnandam aggredior.

(*m*) V. Philoſophiam Novo-Antiquam *P. Th. Cevæ* noviſſimè editam Florentiæ a 1723. in Præfatione.

Digitized by Google

Digitized by Google



DISSOCIATA . . . . . . LIGAVIT.

Ex Ovid. I. Met 25.

Digitized by Google

§. I.

PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ FUNDAMENTA COMMUNIA.

DEFINITIO PRIMA.

I. CUM Solus Deus ſit Sapiens, *Philoſophum* dicimus cum Lactantio (*a*) *quæſitorem ſapientiæ* earum nempe veritatum, quæ ſpectant ad ordinem cognitionum, rerum, & morum, nec per ſe pertinent ad Ens ſupernaturale, ſive ad ordinem Gratiæ, & Gloriæ, quem ſibi vendicavit Theologia.

Ubicumque ergo prioris ordinis veritas aliqua reperiatur, quocumque medio innoteſcat, noſtra eſt, ac Philoſophiæ debetur. Cum nullo inimicitias gerimus, niſi cum Errore. Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas. *Omnes populi* (*b*) *clamaverunt, & dixerunt: magna eſt veritas, & prævalet*. Dum verò hæc fundamenta methodo Geometricâ proponimus, nemo expectet a nobis in iis, quæ probabilia ſunt demonſtrationem; ſed ordinem claritatis parentem, & eam certitudinem ac firmitatem quæ rebus dubiis præmitti poteſt, non ſine exemplo magnorum virorum. Ingenium nec pervicax, nec indocile, non exigit ubique ut acquieſcat metaphyſicam evidentiam raram avem in Ter-

(*a*) *Lactant*. III. 2.

(*b*) Eſdræ III. c. 4. inter Apocr. SS. LL.

Digitized by Google

Terris, aliunde ſciens in multis haberi ſolam certitudinem Phyſicam aut Moralem, in multis verò prudenti judicio nos inniti debere.

DEFINITIO SECUNDA.

II. Nomine *Philoſophiæ Veteris* nunc intelligitur Doctrina Peripatetica illuſtrata, & emendata a D. Thomâ, a S. Bonaventurâ, Scoto, &c. quam profeſſæ ſunt omnes ferè Scholæ, atque Doctores ſaltem a ſæculo XI. ad initia XVII. quamque amplectuntur, qui hoc tempore Peripatetici nuncupantur.

Hinc ſtatim tolluntur plures quæſtiones circà libros, & ſenſus Ariſtotelis: & ſimul corruit Ars ſummo ſtudio conquirendi illius errores. Equidem illuſtris Peripateticorum Princeps ſuas habet maculas; ſed non eſt cujusvis nudo rationis oculo illas detegere. Nemo Ariſtotelem majori eruditionis apparatu impugnavit Franciſco Patritio, cui Gaſſendus tantum detulit ut eo lecto poſteriores ſuas adverſus Ariſtoteleos diſſertationes ſuppreſſerit: & tamen Patritius (*c*) exprobrat illi veluti erratum veritatem Catholicam in duobus Conciliis generalibus definitam, quod Anima ſit in homine principium informans, non merè aſſiſtens. Hoc exemplum cautos eos reddat, qui Ariſtotelem impugnant, alios ve antiquos. Eorum præterea mens perſæpe non intelligitur, quia quæritur tantùm ex hoſtibus. Quid verò novit de aliquo Principe, qui illum non cognoſcit niſi ex ſatyrâ, aut ex famoſis libellis?

DEFINITIO TERTIA.

III. Nomine *Philoſophiæ Recentioris* nunc ſaltem a multis appellatur Doctrina, quæ poſt Clariſſimos Viros Galilæum, Carteſium, Gaſſendum, Nevvtonum &c juxta varia ſyſtemata vel inventa, vel reſtituta, atque ab erroribus veterum eſt expurgata.

Hinc *primò*, qui favent utrique parti, Recentiores videbuntur veteris ſapientiæ cultoribus, Antiquorum aſſeclæ apparebunt novæ ſtudioſis. Hinc *ſecundò* loca Patrum, quæ pugnant contra antiquos Epicureos, non facile turbant Recentiores Democriticos: hi enim amplectuntur atomos ut emendatas a Petro Gaſſendo. Pari ratione loca Patrum adverſus Ariſtotelis argutias, & quaſdam opiniones non militant contra Philoſophiam Peripateticam ut reſtitutam a Sacris Eccleſiæ Doctoribus: qui tamen priora legerit longe acriora, deſinet poſteriora expiſcari. Hinc *tertiò*, generaliter quando PP. invehuntur contra Philoſophiam tamquam con-

(*c*) *Patrit.* in collatione Concluſionum Platonis, & Ariſtotelis.

Digitized by Google

contra *plagam Ægyptiacam* [nam Ægyptus Mater artium] loquuntur de illâ ut ſeparatâ a Fide, atque a verâ Religione, tamquam de gladio in manu furioſi, aut tamquam de Mundanâ Sapientiâ, quæ in Divinæ comparatione evaneſcit. Cæterum ſi conjungatur cum Pietate, & Religione, (*d*) laudant illâ Dei tabernaculum exornari: his tamen Ægyptiorum ſpoliis ornari volunt Chriſti Eccleſiam, non onerari.

DEFINITIO QUARTA.

IV. Harmonia hìc intenta eſt ordo Cognitionum, rerum, & morum, quem ſive Veteres, ſive Recentiores, cum veritate deprehendere potuerunt.

Meritò Pythagoras ad *Harmoniam canere Mundum* (*e*) exiſtimavit, noſtroſque mores, & cognitiones ad numeros revocavit, ut intelligeretur ac ſervaretur in omnibus, ordo, conſenſio, & conſpiratio in ſuum finem. Celebris eſt ordinis diviſio apud D. Thomam in proëmio Ethicorum: *Alius eſt enim quem ratio non facit, ſed ſolùm conſiderat, ſicut eſt ordo rerum naturalium* [hunc ait ad Philoſophiam naturalem pertinere] *Alius autem eſt ordo, quem ratio conſiderando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus ſuos ad invicem, & ſigna conceptuum* [hunc dicit ad Rationalem Philoſophiam ſpectare.] *Tertius autem eſt ordo, quem ratio conſiderando facit in operationibus voluntatis* [hunc refert ad Moralem Philoſophiam] Mitto quartum, quem ratio conſiderando facit in rebus exterioribus, hunc enim tribuit Artibus mechanicis. Fuit ergo jam accepta, à Platone philoſophandi ratio triplex: de vitâ & moribus; (*f*) de naturâ; de diſſerendo, & quid conſentiens, quid repugnet judicando.

DEFINITIO QUINTA.

V. Utile vero eſt (*g*) præſentium bonorum conſervatio, aut abſentium comparatio, aut malorum ſtantium propulſatio, aut futurorum incommodorum inhibitio.

Olim quidem omnibus patebant beneficia in genus humanum a Philoſophiâ collata: ut palam profiterentur non modo ſe, ſed (*h*) omnino vitam hominum ſine illâ eſſe non poſſe; At nunc iniquitate temporum eò devenimus ut neceſſe ſit dotem ampliſſimam nobiliſſimæ facultatis, illam proſequentibus commendare. Quaſi verò ſi dos deeſſet non foret per ſeſe expetenda ſapientiæ pulchritudo! Excelſo animo abunde eſt Sapientiâ Duce, Deo ſimilem reddi: quo munere nihil majus, nihil melius,

(*d*) V. Nyſſenum in vita Moſis.
(*e*) *Cicero* III. de Natura Deorum.
(*f*) *Cicero* 1. Acad. QQ.
(*g*) Auctor Rhetoricæ ad Alexandrum c. 1. inter. opera Ariſtotelis.
(*h*) *Cicero* V. Tuſcul.

Digitized by Google

lius, delectabilius nihil [citra Chriſti gratiam] a Deo datum hominibus arbitratur (*i*)

AXIOMA PRIMUM.

VI. *Verum Vero non pugnat*, ut eſt commune, & vetus effatum.

Si ergo tam Philoſophia Vetus, quam Nova veritatem ſectantur, non inimicæ cenſendæ ſunt, ſed ſorores, earumque concordia multis in rebus iniri facile poteſt. Sic Aſtronomi novas ſtellas antiquis adiiciunt: ſic Geographi Tabulas ſuas conſtruunt, in quibus *& Vetus*, *& Novus Orbis* conſpicitur: ſic Hiſtorici chronologiæ veteri addunt recentiorum temporum Annales: tollantur præjudicia, atque odia; & Muſicam docebit Amor ex diverſis, non ex adverſis conſtantem.

AXIOMA SECUNDUM.

VII. Omnis aſſertio Divinæ Auctoritati contraria eſt falſa: *hoc enim eſt verum quod Divina dixit auctoritas potius quàm illud, quod humana infirmitas coniicit*. (*k*)

Conſonat canon Concilii Lateranenſis ſub Leone X. *Cum verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem illuminatæ fidei contrariam prorſus falſam eſſe definimus*. Scilicet domos noſtras, ac rura non ſolùm oculo ſiniſtro, ſed etiam dextero poſſumus intueri: & quædam antea novimus ex ſacris Literis, quàm ex obſervatione.

An quiſquam renuat quam dant oracula lucem
Naturæ ac Phyſicæ? Terræ num forte figuram
Ignorat David? Orbem vocat ante Columbum,
Ante & quàm Terras Victoria navis obiret &c. (*)
Naturæ effectus non experientia tantùm
Protulit &c. . . . . . ———— Experientia quando
Oſtendit noſtros animos in corpore, Formæ
(Non tantum aurigæ moderantis) munus obire?
Et tamen id duplex Synodus definit apertè.
An lucem hanc renuis, ſolùm quia venit ab aſtris?

Et verè opiniones Philoſophorum, quæ contrariæ ſunt illuminatæ Fidei, decurſu temporis falſæ deprehenduntur: quales nunc videmus opiniones veterum Græcorum de variâ Telluris figurâ (*l*) ſive inſtar tympani, ſive coni, ſive ſcaphii, diſci cavi, menſæ planæ &c: controverti qui-

---

(*i*) Plao apud *Cicero* n. 1. Acad. QQ.

(*k*) *Auguſtin.* l. 2. de Gen. ad Lit. Cap. 9.

(*) Verſus qui hic & in ſeqq. allegantur ſine Auctoris nomine deſumpti ſunt ex Libris J. T. C. Anticriticorum ſive Defenſionis Sapientum: qui eos vidit inveniet hic etiam quando non allegantur diſiecti membra Poëtæ.

(*l*) V. *Plutarch.* de Placit. Phil. III. 10.

Digitized by Google

quidem poteſt, an aliquid dixerit Deus; ſed non poteſt in dubium vocari an id, quod dixit ſit verum; nequit enim falli, aut fallere.

AXIOMA TERTIUM.

VIII. Quidquid a Phyſicis vel a Mathematicis verè demonſtratur, aut demonſtrari poteſt, non eſt contrarium Divinæ Auctoritati.

Sequitur hoc quoque ex primo axiomate, & traditur ab Auguſtino: (*m*) *hoc reſpondendum eſt hominibus, qui calumniari libris noſtræ ſalutis affectant, ut quidquid ipſi de Naturâ rerum veracibus documentis demonſtrare potuerint, oſtendamus noſtris libris non eſſe contrarium.* Conſultò ſcripſit *veracibus documentis:* ut enim aliqui opiniones in cerebro ſuo natas falsò tribuerunt Sacris Literis; ità ſæpe ſæpius prodierunt paralogiſmi loco demonſtrationum.

AXIOMA QUARTUM.

VIIII. Nec ſenſibus ſine mente, nec menti humanæ ſine ſenſibus dum eſt in corpore, licet integrum Philoſophiæ ſyſtema conſtituere.

Fac quis ſolis fidat ſenſibus, dicet remum in aquâ mediam partem immerſum, eſſe fractum: ſolem non eſſe majorem ſpatio unius pedis putabit; erit ex iis, quibus tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi. Quamquam etiam apud illos, qui negabant ſubſtantias omninò incorporeas multa fugiunt noſtros ſenſus.

Quòd nequeant oculis rerum primordia cerni. (*r*)

Nec revera ſenſus falluntur, aut propriè fallunt, quando accedente causâ debent ita repræſentare. *Injuſtum eſt enim a ſenſibus exigere pluſquam poſſunt:* (*ſ*) *quidquid oculi autem videre poſſunt, verum vident. Ergo ne verum eſt quod de remo in aquâ oculi vident? Prorſus verum: nam causâ accedente quare ita videatur, ſi demerſus undâ remus rectus appareret, magis oculos reos falſæ renunciationis arguerem.* Prolatis igitur obſervationibus atque experimentis, ubi deſinunt ſenſus, ibi incipiat ratio: quæ ſi hos nuncios ab Auctore Naturæ nobis traditos præmittere detrectat, irrito diuturnoque labore in ſuarum idearum deſerto peregrina morietur, gnara itineris tum ſui, tum alieni: alterius ſic

Altera poſcit opem res & conjurat amicè. (*t*)

Axioma

(*m*) *Auguſt.* l. 1. de Gen. ad Lit. c. 21.
(*r*) *Lucret.* lib. primo.
(*ſ*) *Auguſtin.* III. contra Academicos.
(*t*) *Horat.* in Arte Poët.

AXIOMA QUINTUM.

X. Nec Veterum dogmata longâ ſæculorum approbatione commendata reiicienda ſunt ſine fundamento; nec Recentiorum Obſervationes, atque Experimenta a clariſſimis Viris comprobata, ſine gravi causâ in dubium vocanda: nec contemnenda doctrina alterutrius partis, ſi utilis ſit ad aliquas veritates, ſive eruendas, ſive ſtabiliendas.

Priorem axiomatis partem docuit cum Varrone Romanorum doctiſſimo M. Tullius: qui ab *antiquorum ratione deſciſcit, is debet docere, quod & quâ de causâ diſſidium factum ſit, ut videamus ſatis ne iſta ſit juſta defectio* (n). Accedit & ratio, tum quia ſol non nobis primùm illuxit: tum quia Veteres primi in hanc meſſem venerunt: tum quia proximi Patriarchis, quorum dogmata præcæteris cuſtodiebant Ægyptii. Quo tono imberbes adoleſcentes rerum novarum cupidos exciperet Ægyptius Sacerdos, is qui Solonem Græcorum ſapientum celeberrimum his verbis eſt allocutus? *O Solon Solon, vos Græci ſemper eſtis pueri * nullam canam diſciplinam habentes!* Magnam certè ſemper habet auctoritatem Antiquitas, & quamdam veluti anticipationem, præſertim ſi per plura ſæcula fuerit a ſummis Viris celebrata. Quare non eſt ab eâ recedendum, niſi majus momentum, niti in contrarium cogat.

Sed neque putandum eſt Antiquos omnia occupaſſe, aut effœtam eſſe Naturam, aut cum Majoribus noſtris humani vim ingenii periiſſe. Quin potius ipſo Ariſtotele judice (o) *quæcumque a prioribus inventa ſunt, paulatim incrementum ſumunt ab iis, qui ſubſequuntur*. Sæcula proficient ſemper, modò non deſperent, aut amittant quod bene partum eſt. *Errabat enim multis in rebus antiquitas,* (p) *quam vel uſu jam, vel doctrinâ, vel vetuſtate immutatam videmus*. Quia vero obſervationes atque experimenta a doctiſſimis viris habita coram publicis Academiis, ævo, & totâ Republicâ Literariâ teſte, ſummam merentur fidem; idcirco ſine gravi causâ minus prudenter in dubium vocarentur. Quod vidit ſuis oculis Aſtronomus, poteſt eſſe incertum populo, ſed non falſum: neque erit incertum ſi id videatur peritis in arte, & communi ſapientum ſuffragio comprobetur.

In poſtremâ parte Axiomatis non habebunt difficultatem niſi qui ſua exoſculantur, aliena contemnunt. Medicina, quæ ſano non prodeſt, ægro non eſt inutilis. Ipſa arborum folia ſuo non carent uſu: detractis enim foliis univerſis nec fructus ſervarentur.

Poſtu-

(n) *Cic.* p. Acad. QQ. ſub fin.
[*] V. *Platonem* in Timæo
(o) *Ariſtot.* 2. Elench. c. ultimo.
(p) *Cicero* de Divin.

POSTULATUM PRIMUM.

II. Philoſophiæ Veteris, ac Novæ concordiam, quantùm fieri licet, inire: hoc eſt præſtantiſſima quæque utriuſque in unum componere.

Nam ſi ab utriuſque ſectatoribus inquiritur Veritas, non ſolùm poſſunt, ſed etiam debent in unam ſcientiam componi. Quid quod utraque eamdem habet originem: quam plura ex iis, quæ cenſentur nuper inventa, Antiquis non erant ignota. Ipſa quæ quotidie fiunt experimenta non ideò ſpectant ſolùm ad Novam Philoſophiam, quia noviſſimis temporibus ſunt inſtituta: quemadmodum nec omnes veterum opes ſpectant ſolùm ad Veterem, quia olim ſunt partæ. Hoc eſt votum ſapientiorum, non reſpuere quidquid boni, quidquid veri ex utràque poteſt colligi, ut præ cæteris ſignificarunt non ſolum verbo; ſed etiam ſuorum operum exemplo (*) Jo: Baptiſta du Hamel, Thomas Ceva, & qui multos hoc lacte imbuit diu in eâdem univerſitate, ac domo contubernalis Eminentiſſimus Cardinalis Ptolemæus in ſuâ *Philoſophiâ mentis, & ſenſuum Metaphyſicè, & Empyricè in Collegio Romano pertractatâ*; in quâ ſæpius profitetur, (*u*) quidquid in Carteſii, Gaſſendi, aliorumque ſummorum Virorum ſyſtemate ſcitu dignum, & eruditum eſt: quidquid inventum fauſtè, vel reſtitutum præclarè, id in Philoſophiam Peripateticam corrivari poſſe, ac debere: atque hoc demum optimum genus eſſe Ariſtotelem imitandi, quem ex omnibus antiquis ſcriptoribus profeciſſe, novaſque obſervationes præſertim ex animalium cuſtodibus comparaſſe exploratum eſt. Id certè longè utilius erit auditoribus, quam bonas horas in diſſidiis perdere, ſterilemque Cynicorum ritum imitari.

POSTULATUM SECUNDUM.

XII. Ponere in Philoſophiâ ejuſmodi fundamenta, ut Auditor ad Matheſim, vel ad Theologiam deinde accedens tutò novam fabricam conſtruere queat.

Et priorem quidem partem poſtulat Philoſophia Recentior, cui vitio verti non debet firmiſſimos lapides ex Matheſi mutuari, ex ſcientiâ nimirum naturali, ac filiâ Phyſicæ. Effata Platonis, (*x*) aliorumque ſapientum, quæ in contrarium adduci ſolent, quaſi *Geometriæ ſpeculationes ad ſenſibilia referre, & ex illis iſta comprobare, Geometriæ bonum corrumpere ſit*, damnant abuſum, non uſum. Si enim id ſobriè, & maturo cum judicio fiat, multum lucis rebus phyſicis affundetur; ut conſtat ex Iride, motu gravium, aliiſque quam plurimis, quæ ſine Matheſi explicari vix poſſunt: quæque meritam laudem pepererunt Galilæo, Carteſio, Nevvtono &c.

B Alteram

(*) Mitto Cabæum, H. Fabri, Lanam, Caſatum &c.

(*u*) C. *Ptolem.* in Præf. ſuæ Phil. & diſſert. VIII. Phyſ. General. Concl. 3.

(*x*) Idem in diſſert. de quant. Continua.

Digitized by Google

Alteram partem poſtulat Philoſophia Vetus, quæ negat ſe velle claudere oculum dexterum, ne ſolius humanæ rationis ductu incidat in aliquem errorem contra Fidem Orthodoxam: negat ſe recipere in ſacrarium timore inſequentium, cùm ſe habere glorietur arma longè firmiora; ſed ut ædes ſacras ab hoſtili incurſione tueatur: negat ſe liberum frænum & laxas habenas ſenſibus poſſe relinquere. Vult enim inſtituere Philoſophum non utcumque; ſed Chriſtianum, qui deinde ad Theologiam progrediens non teneatur in naturalibus nova fundamenta ponere, ſed præſtare poſſit ut naturalis ratio ſubſerviat Fidei (y), atque ex alterâ præmiſsâ de Fide, ex alterâ naturali elicere concluſionem Theologicam, ignotas veritates deducere, & Heterodoxorum ſophiſmata diſſolvere. Quâ in re ait ſe parere Concilio Lateranenſi ſub Leone X celebrato ubi ſeſs. 8. hæc habentur: *inſuper omnibus, ac ſingulis Philoſophis . . . . . diſtrictè præcipimus, ut cum Philoſophorum principia, aut Concluſiones, in quibus a rectâ Fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint . . . ., teneantur eiſdem Veritatem Religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere: & perſuadendo pro poſſe, docere, ac omni ſtudio hujuſmodi Philoſophorum argumenta [cum omnia ſolubilia exiſtant] pro viribus excludere, atque reſolvere.*

An Synodi monitis parendum judicet æquus
Judex, an ſc.... Fidei damnantibus arma
Dum quis Naturam non uno lumine quærit,
Sed geminis oculis rapiant ne devia luſcum.

Meritò Ludovicus Magnus Religionis, & bonarum Artium Patronus exilio mulctavit B. L. qui ſuæ Phyſicæ contrariam hanc aſſertionem præmiſerat „ Theologorum eſt demonſtrare Chriſtianam Fidem rationi „ non adverſari: Philoſophi ſolam rationem ſequuntur, & illius ſolo Lu„ mine rerum Naturam ſcrutantur: quapropter etſi res aliter ſe habere „ Religio ipſa doceret, non ideò ſequeretur eorum placita eſſe reprobanda.

Nihilominus hic quoque cavendus eſt abuſus. Quod iterum iterumque ingemiſcens monuit Auguſtinus. (z) *In rebus obſcuris atque a noſtris oculis remotiſſimis, ſi qua inde ſcripta etiam Divina legerimus, quæ poſſint ſalvâ Fide, quâ imbuimur alias, atque alias parere ſententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita proiiciamus; ut ſi forte diligentiùs diſcuſſa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus; non pro noſtrâ ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum eſſe, quæ noſtra eſt: cùm potius eam, quæ Scripturarum eſt noſtram velle debeamus.*

POSTULATUM TERTIUM.

XIII. Si fœdus Philoſophiæ Veteris cum Novâ eſt ineundum, alteram alteri nonnulla concedere, aut ſaltem mutuo lucro commutare.

Ita nimirum omnia fœdera ineuntur, & ſtabiliuntur commercia. Quiſquis ergo eſt amans hujus concordiæ [non enim omnium aures ſunt

(y) *D. Thomas* pr. par. q. I. ar. VIII. ad ſec. Confer. *Auguſt.* ep. 122. ad Conſentium. *M. Cano* de Loc. Th. lib. IX. *Card. Pallavicin.* Hiſt. Concil. Trident. lib. VII. c. 14.

(z) *Auguſtinus* l de Gen. ad Lit. c. 18.

Digitized by Google

ſunt ad harmoniam diſpoſitæ, cùm Tigrides ad Muſicos ſonos efferari dicantur] ſi partes unius ſequitur, quemadmodum alienas merces lucratur, ita debet nonnullas commutare. Nam ſi Veteris Patroni retinere velint omnes omninò formas, & qualitates occultas, quæ Arabicis temporibus defendebantur; aut Novæ ſtudioſi ne Brutis quidem animantibus Animam concedere velint, ſtatim omnis de fœdere ineundo Tractatus abrumpitur. Nemo fit pauperior cum merces dubii valoris in meliores commutat.

Multò magis concedi poſſunt, quæ ſententias ipſas minime turbant: quare ut probanda eſt Recentiorum diligentia, quæ omnia Latinè efferre conatur; ita neminem par eſt offendi, ſi vocabula quædam audiat in Scholis uſitata: traduntur enim tùm ut Veterum libri, atque aſſeclæ intelligantur, tùm quia perſæpe ejuſmodi vocibus breviùs, & clariùs res ipſa exprimitur, quàm per longas periphraſes: tùm quià ipſi Juniores ſua habent vocabula Romanis inaudita *calculi exponentialis*, *calculi differentialis*, *calculi differentio-differentialis &c.* Auguſtinus (*a*) etiam ſe a Dialecticâ edoctum teſtatur, cùm de re conſtat propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi. Neque diſſentient rigidiores ætatis noſtræ Cenſores ſi ſecum recolant quod Romanæ eloquentiæ Parens notavit: (*b*) *id quoque commune omnium ferè artium* [ut habeant peculiaria vocabula] *aut enim nova ſunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda*; nec dubitavit idem Cicero ex nominibus Appii, & Lentuli abſtrahere (*) *Appietatem*, ac *Lentulitatem*. Et Plato (*c*) cujus linguâ [uti fertur] uterentur Superi, ſi Græcè loqui vellent, admonuit: *uti nominibus, verbiſque communioribus* .... *ſæpenumerò generoſi animi eſt, contrarium autem illiberalis*.

POSTULATUM QUARTUM.

XIIII. Non abripi ſui ſæculi præjudiciis.

Hinc *primò* omnia circumſpicere oportet: qui enim non examinat quid lateat ſub verborum foliis, ſæpe ſe deceptum dolebit. Profundior perſcrutatio doctrinæ quam ex aliis accipimus, deſerviet *ut jam non ſimus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ* (*d*). Optandum etiam ut Scholarum ſyſtemata probè intelligantur antequam quiſpiam ſibi ea aſſumat impugnanda, nè fingat hoſtem quem feriat.

Hinc *ſecundò* Veritas non eſt ſicuti veſtis, quæ variari debeat ad libitum vulgi, aut pro anni tempore. Philoſophum veritatis defenſorem

Juſtum & tenacem propoſiti Virum,
Non civium ardor prava jubentium.
 Non vultus inſtantis Tyranni
 Mente quatit ſolidâ, neque auſter....
 Si fractus illabatur orbis,
 Impavidum ferient ruinæ. (*e*)

B 2 Hinc

(*a*) *Auguſt* l. 1. Muſicæ & contra Acad. III. 13.
(*b*) *Cicero* Acad QQ. lib. 1. n. 25.
(*) *Cicero* l. III. Epiſt. ad famil. ep. 7.
(*c*) *Plato* in Theæteto.
(*d*) *D. Paulus* ad Epheſ. c. 4.
(*e*) *Horat.* ode 3. lib. III.

Digitized by Google

Hinc *tertiò* laudare laudatos Viros, eorumque uti auctoritate, atque inventis frui. Annibal quanquam ſit Romanorum hoſtis non ceſſat Scipionem celebrare, quem vel triumphantem ſcurra de trivio non veretur conviciis proſcindere. Hærent in primo Sapientiæ limine,

Virtuti qui ſola vident adverſa, nec unquam
Aut reſponſa legunt, aut ipſi ſolvere norunt.

Quod ſi Philoſophia vetus, & nova Sorores ſunt, imò in unam poſſunt coaleſcere facultatem, vel certè altera alterius opibus diteſcere;

Ne veteris laudes Sophiæ ceu damna recentis
Adſpicias, neque enim pugnant ut *Cervus*, & *Hircus;*
Quin *vetus*, *& novus* Orbis habent contraria quædam,
Sic illæ: hinc noſtri ſi qua eſt contraria Mundi
Carteſii Mundo doctrina, nec Anglia quædam
Admittit &c.

Hinc *quartò*, ſi Divina auctoritas, ratio, aut experientia aliud doceat, quam laudati Viri tradiderunt, licet ab iis diſcedere, falſaſque opiniones convellere. Neque verò hoc ipſo quod aliquem allegamus, univerſa ejus dicta intendimus approbare: hanc enim reverentiam ſolis ſacris Libris, qui Canonici appellantur (*f*) didicit Auguſtinus deferre [his adde certas, & directas ad omnes Fideles, Eccleſiæ definitiones] ut nullum eorum Auctorem ſcribendo aliquid errare firmiſſimè credat. Conferatur ſi placet M. Cano l. XII. de locis Theol. c. 1. Hinc *quintò*, In dubio Magnos Viros benigniùs interpretari decet. Quando neque ex orationis ſerie, neque ex aliis locis ejuſdem Scriptoris, neque ex Hiſtoriâ, conſtat de mente alicujus clari Viri, *delictum non eſt facile præſumendum, & in dubio facienda eſt ſemper benigna interpretatio pro illius excluſione*, ut rectè ſtatuit Gloſſa in capite *Cum tu* &c. Malus animus omnia in malum vertit.

POSTULATUM QUINTUM.

XV. Tentamentum Concordiæ inter Veterem, ac Novam Philoſophiam proponere.

Non exhibemus hic integram fabricam, ſed rudem delineationem præcipiti feſtinatione conceptam, contra quam cuique liceat differere, ut ab aliquo perficiatur. Proinde qui hanc non approbat, offerat meliorem, & nos ipſi laudabimus: nam in conſtruendo ædificio præſtat habere multiplicem ichnographiam, ut optima eligatur. Quare nec in ſuperioribus dedimus alicui Leges; ſed potiùs ex ſummis Viris acceptas in medium protulimus ut nos iiſdem obtemperaremus. Æquo Judici, & Literarum fautori ſi res ipſa diſplicet, ſaltem non erit ingratum ſtudium, atque intentio noſtra juvandi adoleſcentes, eoſque ab otio, à profanis amoribus, à contemptu bonarum Artium abductos, alliciendi ad amorem Sapientiæ cùm Veteris, tùm Novæ, præmonſtratâ utriuſque utilitate.

§. II.

(*f*) *Auguſtin.* ep. 19. ad Hieronym.

Digitized by Google

§. II.

PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ UTILITAS, ET CONCORDIA IN LOGICIS.

I. LAUDES tributæ à Doctoribus Dialecticæ quando eam appellant Artem Artium (*a*), Scientiam Scientiarum (*b*), Diſciplinam Diſciplinarum (*c*) propriè conveniunt INSTITUTIONIBUS triplicis mentis operationis, quæ complectuntur generales non controverſas definitiones, diviſiones, & regulas rectè, & ordinatè cogitandi, judicandi, ac ratiocinandi. Hæ Inſtitutiones communi Sapientum approbatione, & diſcentium fructu jam ab aliquot ſæculis ante quæſtiones Logicas tradi conſueverunt: *Hæc* [facultas] *docet docere, & docet diſcere: in hac ſeipſum ratio demonſtrat, atque aperit quæ ſit, quid velit, quid valeat: ſcit ſcire, ſola ſcientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt* (*d*). Propterea qui pugnant pro retinendâ formâ ſyllogiſticâ meritò nolunt ſibi eripi, aut retundi arma veritatis contra mendacium. Eâdem de cauſâ celebres Mathematici Walliſius, & Saccherius hæc prima Philoſophiæ fundamenta ſuis commentationibus, & demonſtrationibus aucta voluerunt.

II. Concordia fidium non eſt nova chorda: nihilominus niſi fides conſonent non habebitur Lyræ harmonia. Similiter niſi cognitiones invicem ordinentur, non habebitur Logica, etiamſi triplex tantùm ſit claſſis mentis operationum. Concedendum idcirco Gaſſendo, ut agatur de METHODO: nam *invenire præclarè, enunciare magnificè* (*u*) *interdum etiam Barbari ſolent: diſponere aptè* . . . . *niſi eruditis negatum eſt*. Ordo autem non ſolùm invenitur in ſyllogiſmis, ut patet ex eorum reductione, & figuris: non modò in propoſitionibus, ut conſtat ex illarum oppoſitione, converſione, æquipollentiâ &c.; ſed etiam in apprehenſionibus, ut videre eſt in arbore Porphyrianâ: Non ſemper expedit ſervare *ordinem Doctrinæ*, ut faciliora præmittantur difficilioribus, quando illa ſine his intelligi nequeunt. *Ordo Naturæ* maximè

(*a*) *Caſſiodor.* de Dial. & *D. Th.* in pr. poſt.
(*b*) *Albertus Magnus*.
(*c*) *Auguſtin.* primo de Ordine.
(*u*) *Plinius* III. Epiſt. 13.

Digitized by Google

commendatur, ut prius agatur de Naturâ, & cauſis rei, tum de proprietatibus. In demoſtrandis etiam regulis Logicæ promiſcuè uſurpare licet tum *Methodum analyticam*, tum *ſyntheticam*: falſum eſt enim quod prima ad ſolus ſpectet Mathematicos. Recta autem ſcientiæ methodus poſtulat ut ad generales Theſes tota doctrina revocetur: ſic enim meliùs conſulitur ordini, brevitati, & claritati. Utriuſque Philoſophiæ methodus in decurſu hujus Indicis inſinuabitur.

III. QUÆSTIONES, quæ inſtar PROŒMII controverſis Logicæ diſſertationibus præmittuntur, deſerviunt ut ex generali quam tradunt Doctrinâ, inveniatur Natura, objectum, & proprietates omnium ſcientiarum. Convertentes ergo animum ad inſtitutiones jam traditas, deducimus, Logicam habitualem docentem eſſe habitum tradendi, ſeu proponendi memoratas infallibiles regulas rectè, & ordinatè intelligendi: ac proinde objectum illius eſſe omnem, & ſolam harmonicam Intellectûs operationem: nam entia rationis fictitia diſtincta ſcilicet a re, & cognitione Recentiores non agnoſcunt. Facultatem ſyllogiſticam docentem dicimus eſſe ſimul Artem, & Scientiam [Artifex enim non non ſolùm eſt, qui ædem conſtruit, ſed etiam Architectus, qui docet efficere] ſecundum omnem ſui partem, Analyticam, Topicam, & Sophiſticam. An verò dici debeat practica, an ſpeculativa, pendet ex variâ uſurpatione horum vocabulorum: concedimus enim non egredi extra intellectum; ſed tamen novimus ejus actus, præſcribendo modum efficiendi definitiones, diviſiones, ſyllogiſmos, ad hæc opera mentis concurrere. Ejus utilitatem cæteris omiſſis commendat experientia: teſtantur Juriſperiti ſe ex Orationis methodo, argumentorum pondere, & reſponſionum momento ſtatim dignoſcere Auditores ſuos Logicam didiciſſe: qui enim eam ignorant, nec ordinem ſervant, nec verum ac ſolidum a falſo, & debili ſecernunt, & quovis laqueo irretiuntur. Quare & Ariſtoteles advertit veteres Philoſophos in varios errores prolapſos ex ignoratione Logicæ. Eam propterea neceſſariam ducimus mediocribus ingeniis ad ſcientias ſublimiores acquirendas.

IV. Ne quis ergo irretiatur Sophiſtarum laqueis tradenda fuit etiam pars SOPHISTICA: quemadmodum Grammatica agit de ſolœciſmis, & barbariſmis, Theologia de peccatis & hæreſibus, ut caveantur. Quod ſi aliqui eâ abuſi ſunt, quid tum? Nonne etiam igne. & ſacris Literis multi abutuntur? Itaque ut optimè monet Auguſtinus (*d*) *non eſt facultas ipſa culpabilis, ſed malè utentium perverſitas*. Patres ipſi, qui damnant Dialecticæ abuſum, commendant uſum, & expreſſis verbis laudant ſyllogiſmos Ariſtotelis tanquam arma veritatis (*e*) contra mendacium, ut cum Didymo loquitur Theodoretus.

Belli inſtrumentum Dialectica: ſi furioſus
Hoc gladio pugnet, maleſana Sophiſtica fertur
[Nil etenim prodeſt, quod non & lædere poſſit]
Si verò Patribus valida Argumenta miniſtret,
Dicetur veri contra mendacia telum
Ac munimentum ſimul & Lorica ſalutis. (*f*)

V. Cùm Logica verſetur *circa ipſum actum rationis* (*g*) *ſicut circa propriam materiam*, non ſecundum quod cognitio eſt forma, ſeu modus intrin-

[*d*] *Auguſtin.* 2. de Doctrina Chriſtiana.
[*e*] *Theod.* IV. 26.
[*f*] *Clemens Alex.* in Stromat.
[*g*] *D. Thomas* in pr. poſter.

intrinſecus cognoſcenti: ſic enim pertinet ad Animaſticam; ſed ſecundum quod eſt rei cognitæ extrinſeca imago, à quâ reſultant denominationes Logicæ *ſubjecti*, *prædicati*, *definiti* &c., idcirco jure non pauci DOCTRINAM de DISTINCTIONIBUS, & UNIVERSALIBUS tractant in Logicis, quia explicant tam Diſtinctionem formalem, quam Unitatem univerſalis per cognitiones. Quia vero alii in utroque conſiderant ſubjectum denominationis, aut etiam negant eas haberi dependenter ab intellectu; ideò neque ſunt reprehendendi qui de illis agunt in Metaphyſicis.

VI. Non eſt autem ea tractatio omittenda in Philoſophiâ, quia cùm ab hac inquiratur modus, quo res ab hominibus cognoſcuntur, duplicem vim planè admirabilem in noſtro intellectu Sapientes deprehenderunt: alteram quâ cognoſcere poteſt unum inſtar plurium, quod eſt in phraſi veterum *adunata dividere*, ſive ut nunc in Scholis loquimur, ponere Diſtinctionem formalem: altera quâ cognoſcere poteſt plura inſtar unius, quod eſt in phraſi Veterum *diviſa adunare*, ſive facere Univerſale. Quapropter cùm neque talem diſtinctionem, neque ejuſmodi unitatem inveniamus in rebus, cenſemus ad earum explicationem ſruſtra tendi viâ directâ, facile verò unumquemque eas aſſequi poſſe, ſi tendat viâ reflexâ. Hinc nulla neceſſitas apparet Recentioribus admittendi in rebus creatis DISTINCTIONEM VIRTUALEM INTRINSECAM, aut FORMALEM EX NATURA REI: cum omnes loquutiones optimè ſalventur declarando quid vi præcisè alicujus cognitionis intellectus enunciare queat de objecto.

VII. Adoleſcentes illi, qui integrum faſciculum rumpere non valebant, diviſum in ſingulas virgas facile fregere. Haud aliter ea eſt UTILITAS DISTINCTIONIS FORMALIS, ſive Præciſionis, ut objectum quod multitudine ſuorum attributorum perſæpè vinceret diſcentis vires, dum *uno ſigno tanquam duobus utimur*, (*b*) facile totum intelligatur. Hanc artem non contemnunt Mathematici Recentiores præſertim in ſuâ motuum compoſitione. Nè ergo peccetur contra artem, neceſſe eſt addiſcere controverſiam de Diſtinctionibus.

VIII. Qui Populum Romanum unum habere collum optabat, ut uno ictu totum obtruncaret, nigro carbone UTILITATEM UNIVERSALIS depinxit. Eam pueri experiuntur antequam illius cauſam cognoſcant. Si non piget iis aures præbere: [*] quid hoc ſit

Mens hominum cùm cognoſcit plura unius inſtar
Audi ergo a pueris. Cùm metri diſcere leges
Incipiunt, non illi abeunt per ſingula verba
Ut poſtrema *Genu* dicatur ſyllaba longa,
Longaque in *Auditu*, *Viſu*, *Senſuque*, *Geluque*
. . . .
Infinitum etenim per ſingula currere; at uno
Tantùm præcepto, atque obſcurâ cognitione
Omnia complexi facili brevitate, quod optant
Edicunt, ſi forte ſit ultima litera verbi

U, ſem-

(*b*) *V. Ariſtotel.* VIII. Phyſ. t. 68.

(*) Jam monitum, carmina quæ allegantur tacito Auctoris nomine eſſe petita ex Libris J. T. C. Anticriticorum, ſive Defenſionis Sapientum.

Digitized by Google

U, ſemper produc, memorique id mente recondunt.
Nec tu extra mentem quæras monoſyllabon illud
Secretum a *Viſu*, *Auditu*, *Senſuque*, *Geluque*:
Nam ſic non unquam foret ultima litera verbi:
Attamen in multis unum quid dicitur eſſe,
Nam verè in cunctis longum inferioribus illud.
Sic Hominem abſtractum Patriam nè quære per Urbem,
Sed Petrum, aut Paulum, vel Cajum, ſive Philippum,
In quibus eſt directa Hominis perfectio quævis:
Quippe extrà mentem hæc ratio, ſed non tamen una
[Non etenim natura Petri eſt natura Philippi]
Unam intellectus reddit, quando omne quod infra eſt
Confusè attingit, nec clarè ea plura tuetur,
Sed ſolùm ut dictum eſt obſcurâ cognitione,
Cernere vi cujus nulli licet inferiora &c.

IX. Cognito univerſali in genere, oportet ejus quoque ſpecies non ignorare; hinc eſt, quod Vir nobiliſſimus Severinus Boëthius, Porphyrii Iſagogen de quinque PRÆDICABILIBUS Latinitate donavit, eaque in Scholis communiter explicatur. Probanda igitur & explicanda eſt partitio Univerſalis Logici in Genus, Speciem, Proprium, Differentiam, & Accidens. Ut autem dicamus duo, quæ ſunt ſub eodem genere differre ſpecie, ſatis eſt noſſe ea differre in aliquo prædicato reipsâ cum illis identificato: quod ſi in nullo differant, ſequitur ea ſolo diſtingui numero.

X. Non ſemper loquimur reflexè; ſed non rarò quærimus multa de rebus ipſis ſecundum ea prædicata, quæ illis conveniunt independenter a cognitione. Optimum proinde conſilium fuit res univerſas ad aliqua ſuprema genera revocare, & coordinare. Decem nobis offert venerabilis antiquitas PRÆDICAMENTA: quam diviſionem Ariſtoteles *numquam probare conatus eſt, ſed eam ut communiter admiſſam ſemper ſupponit* (*i*). Et verè hujus denarii numeri nos *fidem habere, non ſcientiam teſtatur* Scotus (*k*) poſt Gilbertum Porretanum. Cum itaque inveniatur quidem in rebus ſubſtantia, quantitas, relatio &c.; ſed diviſio ipſa [hæc eſt actus Logicæ] pendeat ab intellectu, qui ſolet uno ceu pluribus uti, ex diſtinctione Prædicamentorum nequaquam arguitur diſtinctio rerum.

XI. Quod ſi magna pars Logicæ *majoris* circa ſimplicem apprehenſionem occupatur, labor non eſt inutilis: omne enim pravum judicium, & omnis falſa illatio ex pravis apprehenſionibus naſcitur: oculus viridi colore imbutus quidquid intuetur, eodem colore videt infectum: ita mens pravis ideis, ſive imaginibus occupata apta non eſt ad excipiendam veritatem. Proinde in veritatis inquiſitione ſeponenda præjudicia, intelligendus ſenſus axiomatum, & ſtabilienda VOCUM SIGNIFICATIO. Nam cum voces ſignificent ad placitum, non ex naturâ ſuâ objectum, alii aliis temporibus, vel etiam eodem tempore ſed in aliâ Scholâ, uſi ſunt iiſdem, vel ſimilibus vocibus in longè diverſâ ſignificatione. Quod ſi Vocabularium cujuſque Scholæ, vel ſaltem earum Principum teneremus, nullo negotio multæ quæſtiones de voce tolle-

[*i*] *de Bened.* lib. 2. Logic. q. III. c. 4. [*k*] *V. Maſtrium* to. 1. diſp. 6. q. 1.

Digitized by Google

tollerentur. Ut cum quæritur, an Deus contineatur in prædicamento Subſtantiæ, rogamus amicè, quid intelligis nomine *Subſtantiæ?* An ens completum naturæ finitæ ſubſtans accidentibus, cujuſmodi eſſet etiam filum aureum infinitum? Deus non eſt hujuſmodi, ac propterea non eſt tua ſubſtantia. Num ſic definis ſubſtantiam completam „ Ens per ſe, quod ut exiſtat non indiget uniri alteri? „ Hæc conveniunt etiam Deo: ac proinde illum non dedecet a mente humanâ confundi, ſub conceptu creatæ ſubſtantiæ communi.

XII. Ordinatis, ac directis primis intellectûs imaginibus [his in voluntate reſpondet *ſimplex complacentia, & diſplicentia*] progredimur ad cognoſcendam naturam, & proprietates JUDICII ſive aſſensûs, & diſſensûs, quo nempe aliquid affirmatur vel negatur. Cum autem *affirmare, vel negare* in quacumque materiâ ſit ſecunda operatio intellectûs [ut *velle*, ac *nolle* ſecunda operatio voluntatis] mirum eſt noſtris temporibus Hominem non indoctum contendere *judicium pertinere ad voluntatem* (*l*) *non ad intellectum*. Aliud enim eſt *aſſenſus*, aliud *conſenſus*: aſſenſui intellectûs utique præit aliquando in rebus dubiis conſenſus voluntatis, & inclinatio in alterutram partem, ad quam Mens ab objecto non facile determinaretur; nihilominus qui enunciat, qui judicat, qui affirmat, aut negat, ſemper eſt intellectus. Nec refert intellectum cùm judicat non pati coactionem, ſive violentiam, quia neque patitur dum apprehendit. Væh Mundo ſi Judices, aut Philoſophi incipiant voluntate judicare! Veteres certè nunquam viderunt pejorem Tyrannidem, quàm ubi ſtaret *pro ratione voluntas*. (*m*)

XIII. In explorandâ propoſitionum noſtrarum VERITATE plerumque præſcindimus ab Ideis Divinis: *ex eo enim quod res eſt, vel non eſt* [eo modo, & tempore, pro quo enunciatur] *oratio vera, vel falſa dicitur*. (*n*) Hinc non videmus neceſſitatem, quam Platonici volebant recurrendi ad Ideas Divinas in explicandâ, quam habemus de rebus ſenſibilibus veritate. Imò neque neceſſe eſt ad illas recurrere in exponendis propoſitionibus, quæ dicuntur æternæ veritatis, quod ab omni temporis differentiâ præſcindant, ut „ Homo eſt Animal „; habent enim hunc ſenſum, vel alium æquivalentem „ Si datur Homo, datur Animal: „ conditionalis autem nihil ponit in eſſe juxta vetus proloquium. Multò verò magis eſt falſum quod ingenioſus recentior volebat, nos in hac vitâ videre ideas in ipſo Deo. Quamobrem non ſolùm in fabularum, ſed etiam in quæſtionum Philoſophicarum ſolutione ſervandum illud præceptum

Nec Deus interſit niſi dignus vindice nodus. (*o*)

XIIII. Veteres, qui negant determinatam VERITATEM DE FUTURO contingenti ad utrumlibet, negant hæc tria, vel aliquod ex his: *Primò* propoſitiones de tali futuro eſſe neceſſariò veras, neceſſitate quæ proveniat ex objecto. *Secundò* poſſe a nobis deſignari [addimus ſeclusâ Revelatione Divinâ] quænam ex duabus contradictoriis de tali futuro ſit determinatè vera. *Tertiò* cauſam ſecundam eſſe nunc phyſice determinatam, ſive dari in naturâ determinationem in cauſâ reſpectu talium effectuum. Recentiores damnant unâ cum Senioribus tres illos

---

[*l*] *E. P.* par. 2. metaph. ſect. 3. c. 5.
[*m*] *Juvenal.* ſat. VI. 222.
[*n*] lib. de Prædicam. cap. de Subſtantia.
[*o*] *Horatius* in Arte Poët.

Digitized by Google

illos errores. Concedunt dari propoſitiones contingentes, & in mente creatâ contingenter veras: diſertè profitentur ſe non eſſe Prophetas: ſciunt cauſam ſecundam liberam effectûs futuri poſt ſæculum, perſæpe non exiſtere, nè dum eſſe nunc Phyſicè determinatam. *Quartò*, concedunt nullam cauſam, aut libertatem haberi poſſe ſine Divino Decreto donante potentiam. *Quintò*, admittunt Deum concurrere ad omnes effectus creatos, adeoque nullam propoſitionem a nobis proferri ſine Deo concurrente. Addunt tamen omnem propoſitionem, quæ a nobis proferatur ſive de præſenti, ſive de præterito, ſive de futuro eſſe nunc vel abſolutè veram, *ſi res ita ſe habeat* eo modo, & tempore, pro quo enunciatur, vel *ſi res non ita ſe habeat* ſicut enunciatur [neque enim datur medium] eſſe abſolutè falſam; adeoque ex duabus contradictoriis de futuro alteram eſſe determinatè veram, alteram determinatè falſam independenter a Divino Decreto, *tanquam verificativo formali*, niſi forte de ipſo Divino Decreto propoſitio loquatur. De illo certè nec loquitur, nec cogitat Ariſtoteles, dum negat aliquam ex tribus aſſertionibus notatis. Quia verò nodus inter Divinam præſcientiam, vel determinatam veritatem ex unâ parte, & libertatem creatam ex aliâ communis eſt tam actibus naturalibus, quàm ſupernis; cùmque non omnes Philoſophiæ ſtudioſi audiant deinde Theologiam, optimum conſilium eſt dimittere inſtructos, nè aut cum quibuſdam Ethnicis eripiant Deo ſcientiam futurorum, aut cum pluribus Hæreticis eripiant Hominibus libertatem indifferentiæ: oſtendimus ergo juxta bonam Logicam dari ſummam concordiam inter Dei præſcientiam, & libertatem creatam.

XV. Inferre unam Veritatem ex aliâ eſt operatio omninò diverſa ab apprehenſione, & judicio. Videas propterea nonnullos, qui facile judicant de iis, quæ ſunt in promptu, non facile latentes veritates norunt eruere: Deus ipſe, quo nemo melior eſt judex ex hoc ipſo quod omnia novit, nequit ab unâ veritate cognitâ ad aliam progredi. Hunc progreſſum Philoſophia Vetus DISCURSUM appellat: ex quo tùm propter peculiarem difficultatem, tum propter modum tendendi proprium, tùm propter præceptorum multitudinem, jure Tertiam Claſſem Mentis operationum conſtituit. Traditis, ac demonſtratis præceptis in Inſtitutionibus, hìc conſideranda ſupereſt vis ſyllogiſmi, demonſtrationis, & ſcientiæ. Ubi [quia non raròveteres errores exſuſcitantur] inutile non eſt contrà Scepticos demonſtrare, nos multis in rebus Scientiam habere: *quibus non aſſentiri abſit* [*p*] *ut Sapientia potius quàm dementia nominanda ſit*: contra Protagoram nos non habere Scientiam de omnibus: contrà Academicos dari Scientiam de novo, quæ non eſt pura reminiſcentia. Cum ergo non habeamus Scientiam de omnibus, hinc tradere oportet (*q*) *Artem inveniendi, quæ Topica dicitur*, ut norint Auditores quomodo uti debeant quovis ſciendi inſtrumento, locis Topicis, atque Criterio, hoc eſt ut habeant media expedita ad veritates occultas in omni materiâ eruendas. Ex Syllogiſmo probabili naſcitur opinio: de hac D. Thomas: (*r*] *dicendum, quod opinio, & ſcientia quamvis ſint de eodem, non tamen ſecundum idem*

[*p*] *Auguſtin.* Enchirit. c. 20.
[*q*] *Cicero* in Topicis.
[*r*] *D. Thomas* in III. D. 31. q. 2. ar. 1. quæſtiuncula prima ad quartum.

Digitized by Google

idem medium, ſed ſecundum diverſa; & ideò poſſunt eſſe ſimul: Quando ergo alibi oppoſitum docere videtur, cenſere debemus, tum loqui de opinione formidoloſâ: non enim omnis opinio eſt conjuncta cum formidine: præſtat ſiquidem conciliare S. Doctoris locos, quàm aſſerere loqui pugnantia, & ſibi contradicere. Cùm igitur tam ampla ſit materies, tam utilis, tam neceſſaria; mirandum non eſt ab iis, qui verè ſapiunt adoleſcentes detineri in Logicis ad ſeptem, vel novem Menſes, ut tanquam in utero Matris optimè formati, firmis artubus in lucem prodeant ad hanc rerum univerſitatem contemplandam. Præcoces partus, aut abortus ſunt, aut citò moriuntur.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ UTILITAS, ET CONCORDIA IN PHYSICA GENERALI.

I. QUONIAM Phyſica eſt Scientia de corpore naturali [non enim hic loquimur de ſolido Mathematico] nè error in principio maximus fiat in progreſſu, ſtatuendum primò quid ſit CORPUS. Corpus dicitur nobis ſubſtantia ex naturâ ſuâ impenetrabilis cum aliâ ſimili ſubſtantiâ. Propterea negamus trinam actualem dimenſionem eſſe eſſentiam corporis, aut actualem extenſionem eſſe eſſentiam materiæ. Temporibus antiquis *quidam decepti fuerunt ut crederent dimenſiones eſſe ſubſtantiam rerum ſenſibilium*, (*a*) quæ dimenſiones pertinent ad abſtractionem Mathematicam, in quâ tantùm corporis tollitur, quantùm tollitur extenſionis.

II. Vulgatum erat effatum apud Veteres *principia rerum eſſe contraria*, ſive omnia fieri ex ſuo contrario. Huc advocabant Oſiridem, & Typhonem Mercurii, Oromaſdem & Arimanium Zoroaſtris, Amorem & Tartarum Heſiodi: hinc alii ponebant pro principiis mutationis Litem, & Amicitiam; alii magnum, & parvum; alii par, & impar: alii rarum & denſum: alii lucidum, & tenebroſum &c.: obſcurè admodum, & perplexè. Quantò rectiùs, clariùs, generaliùs ſtatuit, qui docuit omnia fieri ex ſuo contrario privativo v. g. ignem ex non igne, calidum ex non calido &c.: hoc eſt quod aliis verbis tradidit, tria eſſe PRINCIPIA MUTATIONIS, *privationem* veluti terminum a quo, *Formam* [præſcinditur hic an ſit Peripatetica nec ne] veluti terminum ad

[*a*] *D. Thom.* in IV. diſt. XII. q. pr. art. 1. ad tertiam quæſtiunculam.

Digitized by Google

ad quem: & *Materiam* tanquam ſubjectum quod ab uno termino ad alterum tranſit: quomodocumque duo poſtrema exponantur in vario ſyſtemate. Hæc quidem non eſt explicatio quæ nunc mereatur integram Diſſertationem, cùm paucis verbis abſolvatur: nihilominus prodit ingenium illius, qui tantâ facilitate ſalvavit Veterum effatum. Complanatâ viâ quiſque poteſt decurrere ſine difficultate: ſed laudandus eſt princeps, qui publicæ utilitati complanavit. Eâ aliquando relictâ ſingularis Plutarchi eruditio [*b*]; & ſummum Auguſtini Ingenium incidit in errorem de duplici principio altero bonorum, altero malorum. Talia imminent aberrantibus pericula.

III. Neceſſitas alicujus ſyſtematis circa COMPOSITIONEM CORPORIS naturalis demonſtratione non indiget: ex illo pendet totius ferè Phyſicæ ædificium: hoc verò corruet, ſi minus firmo innitatur fundamento. Quocirca in re adeò obſcurâ, ſequentia majorum placita multi cenſent admittenda. Ex quinto Axiomate non licet menti humanæ integrum Philoſophiæ ſyſtema condere ſine ſenſibus: neque eſt reſpuendum eorum judicium ut aliquid imaginatione ſolâ conceptum admittamus; niſi aut efficax ratio, aut Divina auctoritas niti in contrarium cogat. Cum ergo ſenſus doceant multa quotidie naſci, & interire, nec ratio evincat hanc eſſe meram manifeſtationem, & occultationem, hinc multis dicendum videtur *primò* revera multa exiſtere de novo per veram, & propriam productionem ex ſubjecto præexiſtente. *Secundò*, inter Materiam, & Spiritum, ſive ſubſtantiam incorpoream datur major diſtantia quam inter Aquilam, & Culicem; aut inter Elephantem, & Acarim; aut inter Balænas, & piſciculos; aut inter Cedrum Libani, & Muſcum Fontium. Si ergo inter hæc extrema corporea dantur de facto ſpecies intermediæ ſine numero; cur inter Materiam, & Spiritum negabimus aliquid eſſe medium? Has entitates intermedias magis, minuſve a Materiâ recedentes, ſive magis minuſve accedentes ad *immaterialitatem Spiritus* (*c*) juxta phraſim Veterum, ita tamen ut nulla ad ſubſtantiam ſpiritualem perveniat, Veteres appellant Formas corporeas, quibus ſi ſubſtantiales ſint, volunt unum corpus ab alio ſpecie differre, & non tantùm per accidens. *Tertiò*, quemadmodum unus, idemque Spiritus eſt capax Virtutum, & Gratiæ ſupernæ, quibus donari, & ſpoliari poteſt, quæque augeri, & alteri poſſunt conferri; ita unum, idemque corpus, una atomus [ſi daretur] etiamſi tenuitate ſuâ fugiat noſtros ſenſus, eſt capax in ſe recipiendi, augendi, amittendi impetum, lucem, calorem &c. Ut priora ſunt *Spiritualia*, ſed non Spiritus; ita poſteriora ſunt entia *Corporea*, ſed non Corpora. Quia vero ſubſtantiam non conſtituunt, ideo dicuntur accidentia. At hæc tria puncta, ſunt teſſera Philoſophiæ Veteris, quæ qui non admittat non cenſetur Peripateticus: quid ergo ſupererit Novæ? Imò verò optandum ut pari paſſu progrediantur. Dicit Philoſophia Vetus: *aliqua producuntur de novo per veram productionem ex ſubjecto præexiſtente*; Dicat Nova: *aliqua non fiunt verè de novo, ſed ſolùm per diverſam mixtionem, ſitum, ordinem rerum præexiſtentium*. Utraque dicit verum, quia licet Leo v. g. naſcatur de novo, & non ſolum

[*b*] *Plutarch.* lib. de Iſide, & Oſiride. [*c*] V. D. *Thomam* prima par. q. 14. art. 1.

Digitized by Google

lùm manifeſtetur ; tamen mixta imperfecta quoad ſubſtantiam non diſtiguuntur a particulis præexiſtentibus ut glacies ab aquâ. Dicit Philoſophia Vetus *dantur aliquæ formæ ſubſtantiales corporeæ, qualis eſt Anima Leonis*; Dicat Nova, *aliqua non dantur, qualis eſt forma cadaverica*. Dicit Vetus Philoſophia, *dantur aliqua accidentia, ut ſpecies Panis & Vini in Myſterio Eucbariſtico*; Dicat Nova, *aliqua non dantur, ut horror vacui, & multæ aliæ qualitates occultæ*. Hic eſt modus utramque conciliandi. Cæterùm ſi alterutra velit ſibi arrogare in hac materiâ propoſitiones univerſales, *dantur omnes formæ ab Arabibus admiſſæ: Nullæ dantur formæ a Veteribus admiſſæ*, progredi videntur ultra quam par eſt veritatem, inquirenti. Antequam prodirent Novæ Philoſophiæ Principes, fuere alii hoſtes Veteris, ut Petrus Ramus &c. In hac claſſe diſtinctâ a Recentioribus eſt is, cui *omnis res eſt ſubſtantia*, (*) *cui nullum accidens ponit rem, quæ poſſit per ſe exiſtere ultra ſuum ſubjectum, ſed ſolum modum ſubjecti* non magis ab eo diſtinctum quàm *Animal* ab Homine, quod ab eo nequit ſeparari. Quiſquis prima Hiſtoriæ, & Philoſophiæ elementa non ignorat, non dicet ab eo admiſſa fuiſſe accidentia Peripatetica. Neque hunc adſcribe Recentioribus, non tantùm quia ante illos vixit; ſed multò magis quia

Una nec Aprilem efficiat vulgaris hirundo.

En modus excludendi hunc Hominem non ſolùm a Philoſophiâ Veteri' cujus fuit hoſtis, ſed etiam a Novâ, quam non prævidit.

IIII. Non ſatis eſt principia in genere contemplari; accedendum ad ea conſideranda in particulari. Quid eſt MATERIA? Triplex eſt via definiendi res maximè claras, aut maximè obſcuras: cum enim illæ ſuâ obruant luce, hæ ſuâ fugiant tenuitate, expedit omnem modum tentare, quo innoteſcant. Sic Theologi Deum definiunt *a ſimili* v. g. Deus eſt Sol intelligibilis; *removendo*, ſive declarando quid non ſit v. gr. increatus, inviſibilis &c: *affirmando* quid ſit v. g. Ens fruens omnis perfectione, Trinus & Unus. Haud aliter egit qui triplicem nobis materiæ deſcriptionem reliquit, ut nullam omitteret methodum eam declarandi. Prima eſt a ſimili: (*d*) *ut enim ad Statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliquid aliud habentium formam materia, & informe ſe habet priuſquam accipiat formam, ſic hæc* [materia prima] *ad ſubſtantiam*: hoc eſt ita ſe habet materia prima ad compoſitum ſubſtantiale, ut materia artis ad compoſitum artificiale: v. g. lignum, aut æs de ſe eſt indifferens ad lectum, vel ſtatuam, aut aliud quidpiam quod ex ligno, vel ære ab arte conficitur.

Secunda deſcriptio eſt per negationem: ut enim notat Toletus ſolemus res negatione definire, aut propter ipſarum excellentiam, aut propter ipſarum imperfectionem. Vis ergo ſcire quid materia non ſit? *Dico autem* (*e*) *materiam quæ per ſeipſam neque eſt quid* [completum] *neque quale, neque quantum, aut aliquid aliud quibus ens determinatur; ſed eſt quid* [incompletum] *de quo ſingula eorum prædicantur*. Materia enim

[*] Hac & plura vide apud *Ib. Wald.* to. 2. c. 78. &c.

[*d*] *Ariſt.* pr. phyſic. 69.

[*e*] *Ariſt.* VII. metap. t. 8. in meo exemplari deeſt τὸ *neque quale*.

enim ſeipsâ non eſt ſubſtantia completa, non eſt quantitas, non eſt qualitas &c, aut aliud prædicamentum, cùm de ſe ſit indifferens ad faciendum Leonem, vel Equum: ad majorem, vel minorem extenſionem: ad calorem, & frigus &c; eſt tamen aliquid cui hæc omnia conjungi poſſunt, & de illâ prædicari ſaltem in concreto, ut fiat calida &c.

Quin etiam audivi Tyrones ſæpe referre
Verba Auguſtini queis grates reddit Amori
Divino; tanto quod mens humana Magiſtro
Materiam didicit *non corpus* ſive *figuram*
Eſſe, aut *ſpirituum Naturam*, ſive *colorem*,
Non tamen omninò nihil; at quiddam prope non Ens,
Quod junctum Formæ valeat componere Totum.

Verba Auguſtini ſunt hæc: [*f*] *Nonne tu Domine docuiſti me, quod priuſquam* [nunc diceretur in ſigno priori] *informem iſtam materiam formares, atque diſtingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non ſpiritus, non tamen omnino nihil: erat enim quædam informitas ſine ullâ ſpecie.* Et alibi vocat materiam [*g*] *pene nullam rem*. Non pudeat ergo eam cognitionem habere, pro quâ impetratâ gratias Deo agit Doctor Sublimis. Quid ſi ea ab omnibus in aliquo vero ſenſu ſit admittenda? Controverſia enim hujus temporis eſt utrum materia ſit complenda per formam diſtinctam, an verò per ſolam figuram, ordinem, & ſitum particularum.

Verum atomi *ſeipſis* neque ſunt vel capra vel agna,
Nec calor, aut frigus, nec Terra, nec unda, nec aër;
Omnia ſed fient conſtans cùm acceſſerit ordo.

Hinc eſt quod tela quæ videntur materiam impetere, revera intorqueantur contra formam, vel ſolùm contra materiam prout eſt determinanda per formam diſtinctam.

Tertia deſcriptio definit, quid in ſeipsâ ſit materia: *Dico enim materiam* (*h*) *primum ſubjectum uniuſcujuſque, ex quo inexiſtente ſit aliquid non ſecundum accidens, & ſi quid corrumpitur in hoc abibit ultimum*: ideſt materia eſt ſubſtantia incompleta [ſeu pars compoſiti ſubſtantialis] per modum primi & ultimi ſubjecti omnium mutationum ſubſtantialium, de ſe indifferentis ad faciendum compoſitum unius potius ſpeciei, quàm alterius. Eſſe autem primum, & ultimum ſubjectum uniuſcujuſque corporis convenit tum materiæ Peripateticæ, tum atomis, tum tribus elementis Carteſianorum [nam *ſtriæ*, & *globuli* Carteſii, ut & *materia ſubtilis* natæ ſunt ex diviſione, & motu ejuſdem materiæ a Deo creatæ, ac propterea etiam per Carteſianos materia eſt ejuſdem rationis in omnibus.] Itaque ut ab aliis jam eſt animadverſum conveniunt Peripatetici, Atomiſtæ, & Carteſiani in admittendâ ſubſtantiâ materiæ primæ: lis ſolum vertitur circa aliquas proprietates, præſertim, an ſit ita incompleta, ut determinari debeat per formam diſtinctam, an per ſolam diſpoſitionem &c. particularum.

C 2 V. Quod

[*f*] *Auguſtin.* XII. Confeſſ. c. 3.
[*g*] idem ibid. c. 18.
[*h*] *Ariſtotel.* pr. Phyſ. t. 82.

Digitized by Google

V. Quod pertinet ad PROPRIETATES MATERIÆ nemo negare poteſt eam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem &c.: de controverſis ſentiendum videtur cum Recentioribus, videlicet habere propriam eſſentiam, exiſtentiam, & potentiam ad recipiendas formas minimè diſtinctam [quæ enim utilitas potentiæ diſtinctæ?] connecti phyſicè cum aliquâ formâ quæcumque illa ſit. Hoc alii dicunt appetere æqualiter omnes formas appetitu innato indeterminato, licet omnibus ſpoliari queat a Deo: quia vero vox metaphorica *appetitus* ſolet puſillos terrificare; idcirco ſublatâ metaphorâ præſtat adhibere vocem propriam *connexionis*.

VI. Itaque cum materia de ſe ſit potentia phyſicè indifferens ad faciendum Equum, vel Leonem, ad has vel illas proprietates, hinc etiam apparet neceſſitas alicujus principii intrinſeci activi quod propterea ſit *magis natura*, (*i*) *quam materia*, quæ eſt potentia paſſiva, & quod ſit prima radix, & origo proprietatum compoſiti naturalis. Hoc eſt quod Veteres dicunt FORMAM, nempe ſubſtantiam incompletam, quæ eſt apta ad determinandam materiam, ut faciat compoſitum ſubſtantiale unius potius ſpeciei, quàm alterius, tamquam prima radix proprietatum illius: non tamen ut tota eſſentia compoſiti, Anima enim eſt pars hominis, & non totus Homo, ut Carteſio diſſentienti optimè oſtendit (*k*) Gaſſendus. Quia verò primum in unoquoque genere eſt menſura cæterorum, hinc a compoſito humano, quod præ cæteris clariùs innoteſcit gradum faciunt Veteres ad Bruta animantia, in quibus cum deprehendant indicia ſenſationum, & non intellectionis, tribuunt illis Animam ſenſitivam. A Brutis deſcendunt ad plantas, & donant illis vitam, quà creſcant. Atque hac proportione deſcendunt ad Elementa. Hinc concludit Ariſtoteles contrà Democritum, qui non admittebat aliam formam, quam figuram, ſitum, & ordinem: *ſubſtantia itaque nihil horum eſt, neque combinatum; attamen proportionabile in unoquoque*. [*l*] Ab his convertuntur ad mixta imperfecta, ut glaciem, quibus hoc ipſo quod ſint imperfecta negant tribuendam eſſe peculiarem Formam ſubſtantialem. Demùm conſiderant artificialia, ut ſtatuam, quibus ut talibus negant pariter Formam ſubſtantialem: licet enim ars imitatur Naturam, eam non aſſequitur, ac propterea non tribuit artefactis principium intrinſecum motûs, virtutem reparandi deperditas vires, producendi ſibi ſimilem &c. In hac viâ eò aliqui progreſſi ſunt ut dicerent aſtra animata, Tellurem eſſe Animal &c: quamvis *Anima* ſit nomen ſatis æquivocum, ut patet ex Animâ mundi Ægyptiacâ.

Alii è contrario cùm ab artefactis inciperent, in quibus vitam non deprehendebant eò progreſſi ſunt, ut negarent Bruta Animantia verè vivere, atque ſentire, ſed inſtar automati a ſupremo Opifice moveri, quod non facilè ſuaderi poteſt: Deus enim nobis non illudit more Circitoris. Imò noſtrâ ætate non defuit, qui hac viâ ad ipſum Hominem perveniret, in quo non admittit niſi Animam quæ ſit (*m*) *pars primi Elementi, ſubſtantia perfectè fluida*, quæque ſit extenſa &c.

Divi-

[*i*] *Ariſtotel.* ſec. Phyſ. t. 12.
[*k*] *Gaſſendus* in diſquiſitione met. adverſus R. Carteſii metaphyſicam.
[*l*] Idem VIII. Metaph. t. 5.
[*m*] *Nicolas Hartſoecker* Recueil de pluſieurs pieces de Phyſique a Utrecht. 1722. pag. 195. &c.

Digitized by Google

Dividua in partes velùt unda canalibus, aut ut
Spiritus ingreditur calamos, inflatque ſonoros &c.
———— quid ſit ſubſtantia demum
Expers materiæ ſe ſe ignorare fatetur
Clara quod illius non fulgeat Idea menti &c.

Videant Doctores [*] an hoc commentum tacitas Religioni, & Animorum immortalitati inſidias ſtruat: non enim hoc eſt aſſerere Animam corpoream in ſenſu quorumdam Patrum, quibus idem eſt *corporeum*, ac *mutabile*, aut eorum, qui animæ donabant inſtar veſtis corpus quoddam æthereum tenuiſſimum; ſed in ſenſu Lucretii, cui Anima, & mens conſtat ex elementis maxime parvis, lævibus, & mobilibus [*n*]

Ac veluti Bacchi flos diffugit, utque ſuavis
Spiritus unguenti tenues vaneſcit in auras.

Ejuſmodi Novitas, & ſimul profana Vetuſtas an non pernicioſa? Ubi eſt Walliſius qui iterum mentem ſobriam feriò commendet?

VII. Ex conjunctione Animæ cùm Corpore reſultat Homo. Hinc jure conſideratis partibus agitur de ipſarum nexu, ac de Toto, ſuppoſito, vel perſonâ. Nonnulli Veteres cum viderent tantam diſtantiam inter Materiam, & Animam Rationalem, ponebant medium quoddam vehiculum, in quo immediatè exciperetur. Eos impugnat Ariſtoteles, [*o*] quod potentiæ, & actûs rationem quærant unientem, cum nihil aliud requiratur præter ipſum exercitium uniendi. Dubitaverant etiam aliqui num Totum in ratione totius involveret aliquid præter partes unitas; idem Philoſophus reſpondet [*p*] *non eſt præter partes Totum*, cui libenter hac in re ſubſcribent Recentiores. Totum Compoſitum eſt a Naturâ: tradenda ergo doctrina de Naturâ, ejuſque diſcrimine ab arte, cæteriſque relativis. Quanti verò ſit non ignorare Naturæ diſcrimen à Perſonâ liquet ex contrariis erroribus Neſtorii, & Eutychetis: uterque enim malè aſſumebat ex Philoſophiâ hanc propoſitionem „ *ſunt unum, & idem Natura intellectiva, & Perſona* „ quæ eſt falſa non ſolum in Theologiâ, ſed etiam in Philoſophiâ Platonicâ. Perſonalitas autem in rebus creatis per nos non addit Formam diſtinctam; ſed ſolùm carentiam nexûs ſive Unionis cum digniori.

VIII. Satis de Principiis, ſeu Cauſis intrinſecis, eorumque effectu: ratio poſtulat ut ad CAUSAS EXTRINSECAS convertamur, Efficientem, & Finalem cùm reliquis, quæ his ſubordinantur. Poſterior hic Tractatus non habet quidem propoſitiones adeo controverſas ut prior; Nihilominus non eſt minoris pretii, & forte etiam utilior ubertate multiplicis, & generalis Doctrinæ. Et verè Philoſophiæ Veteris robur conſiſtit præcipuè non in propoſitionibus controverſis in quibus unuſquiſque abundat in ſenſu ſuo, ſed in Doctrinâ communi D. Thomæ, Scoto, Suarez &c.

Hæc etenim dici ſapientia jure meretur,
Quale eſt cauſarum ſubtile examen &c.

[*] Viderunt & damnarunt ut apparet ex actis Erudit. 1722. menſe Jun. p. 321. Giornale de' Letterati Oltramontani 1722. to. 6. p. 58.

[*n*] *Lucret.* lib. III.

[*o*] *Ariſt.* VIII. metaph. c. 8.

[*p*] idem IV. Phyſ. textu 23.

Eâ qui inſtruitur facile ad Theologiam poteſt accedere,
Deque Fide noto ignotum deducere Verum.

Hinc eſt quod P. S. objectaverit [*q*] nos debere multas Fidei definitiones Ariſtoteli genera Cauſarum ſubtiliſſimè diſtinguenti. At ſublatâ aliquâ ex Cauſis ſive intrinſecis, ſive extrinſecis perit magna pars Phyſicæ, ne dum Metaphyſicæ. *Quid enim eſt* [*qq*] *magnum cum cauſas rerum efficientium ſuſtuleris*, aut Finem, quandò omnia in ſuum finem ordinantur?

VIIII. Non eſt cenſendus perfectè edoctus, qui cognitis corporum cauſis eorum ignorat proprietates. Præcipua proprietas Corporum eſt mutatio, & inter mutationes motus Localis. Cum ergo motus fiat in loco, & tempore, recte agitur de illis. Quod ſpectat ad LOCUM defendimus poſſe idem corpus exiſtere in pluribus locis, ſeu ſpatiis [ne fiat quæſtio de voce] ſive definitivè, ſive circumſcriptivè: & viceverſa poſſe duo corpora poni Divinitus in eodem ſpatio, non tamen viribus Naturæ. DE TEMPORE dicimus publicam, & extrinſecam illius menſuram eſſe motum corporum cœleſtium juxta Divinum edictum ut *ſint in ſigna, & tempora* [*r*] nec refert etiam tales motus tempore menſurari, quia rectum eſt menſura ſui, & cæterorum. Duratio autem intrinſeca veroſimilius non diſtinguitur ab actione, quâ unaquæque res conſervatur. Tempus proinde non eſt ſolum in ideâ *numerantis* motus cœleſtes; ſed etiam independenter a noſtris cognitionibus in ipſis motibus, & actionibus, quæ ſunt *numerabiles* ſecundum prius, & poſterius, etiamſi actu a nullo mortalium numerentur.

X. Motus Corporum in loco non paucis videtur fieri non poſſe ſine VACUO ſaltem diſſeminato. Supponunt enim *primò* dari ultimas materiæ particulas. Supponunt *ſecundò* has eſſe ſolidas, & ſimul indiviſibiles, aliàs non eſſent ultimæ. Supponunt *tertiò* eſſe nihilominùs extenſas. Supponunt *quartò* habere varias figuras, ut aliæ ſint cubicæ, aliæ rotundæ, aliæ pyramidales &c Supponunt *quintò* eſſe inflexibiles, ſive tenaces ſuæ figuræ. Supponunt *ſextò* invicem miſceri eâ lege, ut non dentur alia corpuſcula proportionata, quæ impleant ſpatia intermedia. His poſitis quis non videt neceſſariò admittendum eſſe vacuum diſſeminatum? At plures Philoſophorum ſectæ habent difficultatem admittendi prædictum ſuppoſitionum Numerum; neque vident neceſſitatem Vacui ad explicandum motum localem, cùm hic haberi poſſit per aliquem corporum propinquorum circuitum; mobili vero v. g. pilæ exploſæ dum volat per aërem moleſtum eſſet expectare per totum iter ut corpuſcula vicina ſibi aliquod ſpatiolum invenirent; quod patet volenti ingredi templum Hominum multitudine confertum. Ad excludendum autem vacuum ſupponunt dari materiam ſubtilem nullius figuræ tenacem, maximè mobilem, ac propterea pervadentem poros cujuſque corporis, ſive hanc cum Ægyptiis libeat appellare Animam Mundi, ſive ignem tenuiſſimum cum Stoicis, ſive primum Elementum cum Carteſianis, ſive ætherem, aut quintam ſubſtantiam cum Peripateticis &c. quam alii ad ſalvandam lucis diffuſionem, alii ad implenda ſpatia cœleſtia

[*q*] V. Card. *Pallavic.* in hiſtor. Concil. Trident.

[*qq*] *Cicero* Acad. quæſt. lib. 1. n. 6.

[*r*] Geneſis primo.

ſtia ſuprà noſtrum aërem, alii aliis de cauſis neceſſariam exiſtimant. Quod ſi aliquæ ejus particulæ invicem ſeparentur per corpora intermedia craſſiora, non dicitur laxare poros, quia non dat locum materiæ ſubtiliori: ſicuti corpus humanum non dicitur laxare poros quando transfigitur à jaculis. Porrò experimenta hactenùs prolata ut non evincunt vacuum coacervatum, ad quod ſtabiliendum proponebantur, ità multò minùs evincunt diſſeminatum. Quarè mediâ viâ incedentes, ut concedimus utrumque vacuum dari poſſe Divinitus, quod admittere Carteſius nolebat; ità non facilè concedemus dari de facto in rerum naturâ, donec certioribus argumentis probetur: præſertim cùm Mercurius Triſmegiſtus pronunciet [s] *nihil eſt in rerum ordine Vacuum &c.* Et Galilæus qui Recentioris Philoſophiæ Parens à Rapino [ss] vocatur, inconveniens putet [T] admittere ſpatiola vacua ad explicandam condenſationem & rarefactionem. Neque verò ad excludendum Vacuum neceſſe eſt advocare qualitatem occultam, quæ dicatur *Fuga, & Horror Vacui*: ex lege enim generali impenetrationis & Fluidorum ſequitur, ut ſi moveatur unum corpus, ſuccedat aliud, quod impellitur, adeoque cùm adſint cauſſæ notæ, ut gravitas, & elaterium aëris &c, non eſt recurrendum ad cauſam ignotam. Quando autem apud Veteres occurrit aliquid, quod favere videatur vacui horrori, intelligendi ſunt loqui de oppoſitione phyſicâ, non dè qualitate occultâ per modum cauſæ efficientis

——— en vacui qui dicitur horror
Non cauſa efficiens quædam ſeu fortior hoſtis,
Sed finis rerum Naturæ, corpora quæque
In Mundo pleno quod ſint contraria Inani.

II. Ex Quæſtione de Vacuo diſſeminato propter memoratas ſuppoſitiones facilis tranſitus ad controverſiam de QUANTITATE CONTINUA: num in eâ dividendâ tandem deveniatur ad indiviſibilia nec ne. Hanc quoque quæſtionem cenſemus non omittendam, quia ex his, ſimilibuſque majoris momenti difficultatibus diſcunt Adoleſcentes plurima eſſe in rerum Naturâ quæ ſuperent præſentes humani ingenii vires, ut propterea non debeant detrectare obſequium Fidei in myſteriis revelatis eò quòd ſuperent ipſorum captum. Qui enim ſibi perſuaſit ſe clarè non percipere quomodo componatur unius ala muſcæ, non mirabitur à ſe non comprehendi imperſcrutabilia Dei judicia, aut ineffabile Trinitatis arcanum. Adeò enim hic obſcura res eſt ut defendere liceat in utrâque contrariâ hypotheſi juxtà magis congruam explicationem, continuæ quantitatis, ſeu Corporis quanti compoſitionem ſalvari. Ad hanc quæſtionem definiendam nihil ex Veterum Matheſi eruitur, aliud enim eſt abſtrahere, & præſcindere, aliud negare, ut cùm Walliſio plures adnotarunt, [t] ſed neque eruitur ex Novâ Matheſi, quia quando Recentiores Mathematici nominant particulas infinitè paruas, intelligunt eas, quæ in comparatione ſui totius in humanâ conſideratione evaneſcunt: hinc aliud

longe

[s] *Mercur.* apud Auct. Pœmandræ cap. 2.
[ss] *R. Rapin.* Animadv. Gallic. in Philoſ. §. 18.
[T] *Galil. Galil.* tom. 2. p. 510. in pr. Dialog. loquitur de ſpatiis non indiviſibilibus V. p. 512.

[t] *Wallis* tom. 1. tract. 1. c. 3.
Auctor Phil. Burgund. t. 4. tract. 2. cap. 3.
de *Chales* tom. 1. Curſus Math.
Ozanam tom. 1. Curſus Math. Card.
Ptolemaus in hac quæſt.

Digitized by Google

longè *punctum Mathematicum* in quo præſcinditur à partibus, ut tota Tellus aliquando ſumatur inſtar puncti: aliud *punctum Zenonis*, cui omninò negantur partes.

XII. *Quoniam Naturalis Scientia eſt circà magnitudines*, [u] *& Motum & Tempus, quorum unumquodque neceſſe eſt aut infinitum, aut finitum eſſe* [imò ipſa finita magnitudo quamdam in ſuis partibus infinitatem videtur involvere] *conveniens utique erit de Naturâ pertractantem ſpeculari* de INFINITO. Quia verò in dubio ſtandum eſt pro Divinâ Omnipotentiâ, dicimus infinitum categorematicum in rebus creatis à Deo poni poſſe tàm in multitudine, quàm in magnitudine.

XIII. Expeditis in anteceſſum quæ pertinent ad circumſtantias motûs [u] faciliùs explicatur ipſa mutatio [hanc enim intelligebant Veteres nomine Motus, neque tenebantur uſurpare vocabula in noſtro ſenſu, ſed nos diſcere debemus eorum vocabularium antequàm de illorum ſententiis judicium feramus] eamque dividebant in generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alterationem, & motum localem juxtà numerum terminorum, qui per ſe mutatione acquiruntur. MUTATIONI ergo in genere ſumptæ convenit ea definitio, *actus Entis in potentiâ prout in potentiâ*, v. g. dùm calefit lignum, calefactio determinat lignum, non quà lignum eſt [jam enim eſt actu lignum] ſed quatenùs in potentià ad ulteriorem terminum id eſt calorem. Hoc ſenſu, qui eſt planè genuinus quis Recentiorum (*) habebit difficultatem in eà definitione recipiendà? In Generatione cujus terminus eſt Subſtantia negamus quidquam naſci ſine ſemine, vel ovo; negamus accidentia eſſe cauſam proximam adæquatam ſubſtantiæ: negamus cauſam ſecundam poſſe viribus Naturæ agere in diſtans. In Corruptione compoſiti veteris, cujus terminus eſt ejuſdem compoſiti ſubſtantialis carentia, negamus fieri reſolutionem uſque ad materiam primam, remanent enim in novo aliqua accidentia compoſiti veteris. Dùm augescit, aut minuitur magnitudo [major quantitas eſt terminus incrementi, minor quantitas eſt terminus detrimenti] neceſſe non eſt admittere puncta terminativa de novo advenientia. In Alteratione, ſi ejus terminus ſit qualitas, deberet intenſio qualitatum fieri per additionem gradûs ad gradum: præterea hi gradus eſſent homogenei. Hæ ſpecies mutationis olim explicabantur in Tractatu dè Ortu, & Interitu, poſtquàm è Cœlo deſcenderant, quià cenſebant corpora cœleſtia non eſſe obnoxia mutationi; ſed ex inconſtantibus Planetarum maculis apparet hìc proprium locum habere, cùm contineat Doctrinam generalem, & communem etiàm Corporibus cœleſtibus.

XIIII. Ultima ſpecies mutationis, ſine quà cæteræ vix haberi poſſunt, ex quà minor imperfectio arguitur in corpore mutabili, eſt MOTUS LOCALIS, cujus terminus eſt Ubi, ſeu Locus. Qui paucis hìc ſe expediunt duo reponunt primùm, motum localem in ſuà Philoſophià eſſe veluti Calliopen in Veterum ſphærà, quæ hoc ipſo quod præeſſet cuique Cœlo, nullum habebat peculiare: quare cum, in motu conſiderari poſſit *movens, mobile, ſpatium, & tempus*, ajunt ſe de ſingulis agere in proprià materià v. g. de potentià motrice corporum cœleſtium, ubi de Cœlo: de potentià

(u) *Ariſt.* III. Phyſic. t. 24.

(*) maximam habuit difficultatem *Stair* Explor. III. §. 2.

Digitized by Google

tentiâ motrice Animalium ubi de Animâ, de potentiâ motrice gravium & levium ubi de Elementis &c. Reponunt præstereà ſe diſtinguere Phyſicam à Matheſi, ad quam pertinet Mechanica, Statica, Aſtronomia &c. Nihilominùs ex hoc ipſo, quod Motus Localis ſit objectum plurium ſcientiarum, patet mereri in Phyſicis uberiorem tractationem etiam juxtà Methodum Ariſtotelis. Nàm hic tanti fecit motum localem, ut ei tribuat mediam ferè partem ſuæ Phyſicæ generalis: in quatuor enim poſterioribus Libris Phyſicorum plerumque agit de motu locali: atque ex illo tandem conatur oſtendere primum Motorem immobilem omni ſpecie motûs, hoc eſt Immutabilem. Cùm enim nulla res creata ſit ſibi perfecta ſufficientia movendi, ea tandem refundi debet in Deum: igitur etiam viventia, quæ movent, & mutant ſeipſa, indigent Supremo Motore movente omnia motu congruo, vel certè non repugnante ipſi Motori, aut mobili &c. Unde conſtat rationem Philoſophi à nobis minimè labefactari, dùm removemus id, quod poſſet eam diruere. Cæterum etiam inter ipſos Peripateticos eſt magnus diſſenſus circà ſuperiorem modum oſtendendi Dei exiſtentiam, ut eruditè refert Maſtrius [u] dignus qui videatur.

XV. Eſt igitur Motus Localis tàm veteribus, quàm Recentioribus Mutatio Loci continua, ſive per ſpatia intermedia: quam definitionem alii uberiùs explicant, dicendo„ eſſe tranſitum de loco ad locum, acquirendo novum, & deſerendo antiquum vel ſecundum ſe totum, vel ſecundum partes ipſius Mobilis, ut motus rotæ circà axem immotum comprehendatur. Neque id ignorabat Carteſius, ſed aliud ſpectabat quandò definivit motum„ translationem [paſſivam] unius corporis ex viciniâ eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tamquàm quieſcentia ſpectantur in viciniam aliorum„ credibile eſt enim reſpexiſſe motum relativum ut novum tueretur paradoxum, quo aſſeruit Tellurem in ſuo ſyſtemate non moveri, quià quamvis per Zodiacum circumferat, vult placidè innatare eidem parti Vorticis. Abſolutè tamen loquendo & merces, quæ ex Indiis deferuntur in navi reipſa mutant locum, & turris flante vento non mutat. LEGES quoque MOTUS nonnullæ quas Carteſius adſtruit non facilè ſunt admittendæ, (x) ut quod æqualis ſemper quantitas Motûs inſtar Materiæ perſeveret: licèt enim in Mundo pleno, translato uno Corpore transferatur & aliud; tamen ſi in eadem lineâ rectâ occurrant duo corpora elaſtica ex adverſis partibus emiſſa, ſibi mutuò deſtruent velocitatem. Præcipua lex Motûs a recentioribus admiſſa hæc eſt (y)„ quemadmodum corpus quieſcens numquàm movebitur niſi aliundè ad motum incitetur;ità ſemel in motu conſtitutum moveri perget eadem velocitate, & ſecundùm eamdem directionem, donec occurrat aliqua cauſa, quæ vel motum ſiſtat aut velocitatem, & directionem immutet„: in omni enim mutatione ſemper aſſignari poteſt cauſa quæ motum retardet, aut iter inflectat. Hinc negant quæri debere cauſam cur motus continuetur, ſed potius cur deſinat. Hinc etiam fit ut ſi deſtructis reliquis corporibus unicus lapis proiiceretur in ſpatiis omninò vacuis, quæ-

(u) *Maſtrius* in Phyſ. Diſp. XV. n. 104. &c.

(x) V. *Carteſ.* p. 2. princip.

(y) V. *Wolfium* in Mechan. n. 58.

Digitized by Google

quæcumque eſſet velocitas, & directio, ea per totam æternitatem continuaretur. Hic verò humanus intellectus ſtupet. Propterea lex iſta motûs, quæ tamquam baſis cæterarum aſſumitur inſtar Axiomatis, quemadmodum & plures aliæ generales, dignæ ſunt quæ expendantur in Phyſicâ: quæ enim velut axiomata aſſumuntur in ſcientia inferiori ſæpe ſunt Concluſiones in ſuperiori. QUALITATES, & STATUS Corporum rari, & denſi, duri & mollis &c Recentiores quidem hîc explicare ſolent ſine turbatione methodi: Peripatetici verò in propriis locis v. g. de calido & frigido ubi de Elementis. Quod ſi aliqua ex his qualitatibus ponatur diſtingui a motu figurâ mixtione particularum, ſicuti non debet admitti quando non probatur & adeſt cauſa notior; ita non debet reiici eo ſolo nomine quòd dicatur occulta. Multa enim latent ipſos Sapientes, & multæ figuræ mixtionesque particularum materiæ ſunt pariter occultæ.

§. IIII.
PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ UTILITAS, ET CONCORDIA
IN PHYSICA PARTICULARI.

I. SI cui videatur in Phyſicâ generali nos plura Veteri Piloſophiæ tribuiſſe, in Phyſicâ particulari animadvertet plurima concedi Philoſophis Recentioribus, quorum induſtriæ, & obſervationibus debentur multæ Veritates, quæ majores latebant. Ejus utilitatem ſuprà omnem verborum apparatum commendant Academiæ Scientiarum, Regiâ Principum munificentiâ erectæ, quæ ſua quotannis emittunt in lucem inventa, atque experimenta. Præ cæteris Gallica inter alias dotes recenſet [a] veram Phyſicam eo progredi atque elevari, ut evadat ſpecies quædam Theologiæ, præſertim ubi agit de humani Corporis anatome, & de ſyderibus, ex quorum contemplatione facilè eſt ſupremum Opificem invenire. Etenim *eſſe præſtantem aliquam, æternamque Naturam, & eam ſuſpiciendam,* [b] *adorandamque humano generi, pulchritudo* MUNDI, *ordoque rerum Cæleſtium cogit conſiteri*. Mundum autem ſumptum prò compage ex Cœlo, Stellis, Planetis, & Tellure, cæteriſque, quæ in his continentur dicimus eſſe unicum, quamvis potuerit eſſe multiplex. Licet verò ab Ariſtotele ponatur inter problemata Dialecticæ [nimirùm Topicæ utentis] quorum neutra pars conſtat, etiam hoc [b] „ utrum Mundus ſit ab omni æternitate, necne „; tamen non ſolùm Auctoritas ſacra, ſed etiam profana Ægyptiorum, Platonicorum, Stoicorum &c. docet Mundum eſſe factum in tempore. Nihilominus quia [bb] *Mundum incæpiſſe eſt credibile, non autem ſcibile aut demonſtrabile*; idcircò propugnamus, Mundum potuiſſe eſſe ab æterno.

II. Quid verò magis erigit noſtros Animos quam CORPORUM COELESTIUM contemplatio [c] *quorum nulla eſt inſatiabilior ſpecies, nulla pulchrior, & ad rationem, ſolertiamque præſtantior*. Multiplici obſervatione freti, dicimus *Firmamentum*, in quo Deus ſtatuit tàm Luminaria, quàm

(a) In præf. Hiſtor. Anni 1699.
(b) *Cicero* lib. de Divin.
(bb) *Ariſtotel.* pr. Topic. c. 9.
(c) *D. Thomas* pr. par. q. 46. art. 2.
(e) *Cic.* 2. de Nat. DD.

Digitized by Google

quàm Stellas eſſe fluidum: Viam Lacteam, ut & Stellas nebuloſas eſſe congeriem minutiorum Stellarum, quæ collato fulgore nitent: *Stellas fixas* lucere luce propriâ: *Planetas* omnes excepto Sole eſſe opacos: *Solem* eſſe verum ignem: *Lunam* optimè dici a Bedâ Terram æthercam. *Mercurium*, & *Venerem* ſuis phaſibus demonſtrare falſitatem ſyſtematis Ptolemaici: non omnes *Cometas* apparuiſſe ſuprà Saturnum, & multò minus univerſos infrà Lunam deturbandos, quamvis aliqui fuerint ſublunares. *Maculas Solis*, [*] *Jovis*, & *Martis* variis Temporibus varias probare particulas magnorum Mundi corporum eſſe corruptioni obnoxias, non ipſa integra Corpora: ſiquidem Deus *ſtatuit ea in æternum*. Cauſa *Eclipſium* ut ignorata fuit non ſemel occaſio profligati exercitûs, aut claſſis amiſſæ; ita cognita fuit pluribus Ducibus cauſa victoriæ: *miſerâ* [*d*] *hominum mente abſolutâ in defectibus ſtellarum ſcelera, aut mortem aliquam ſiderum pavente*. Ex *Eclipſibus* Jovialium *ſatellitum*, ut benè [*f*] nòtarunt Caſſinus, & Maraldus nihil eruitur ad probandum lucem propagari per diametrum orbis annui ſpatio quatuordecim minutorum. Falſum eſt etiam *quintum Saturni ſatellitem* obvertere eamdem ſemper faciem Saturno. Cæterum ignoraremus noſtram Tellurem niſi oculos tolleremus in Cœlum: latitudines enim & longitudines Geographicas Cœlum docet ubiq; Terrarum, & medio in Oceano. Quid dicam de Gnomonicâ, & Chronologiâ, quando Chriſti Eccleſia in ſuis Feſtis indicendis Cœlum obſervat?

III. Negat Plato ullum ingenium quod non ſit Naturæ admirabilis aſſequi poſſe [*g*] *quomodò ſeptem verſentur ſub Primo*; quid tamen magis neceſſarium Mundi Lyram contemplanti, quam ordinem chordarum intelligere? Cùm autem ipſe Diſcipulus fuerit Ægyptiorum, ab his didicimus ſequentes propoſitiones circa PLANETARUM SYSTEMA: nimirùm *primò* Tellurem manere immotam in centro ſenſibili Mundi viſibilis: *Secundò* Lunam eſſe infimam Cœlo, citimam Terris. *Tertiò* Solem moveri circa Terram tam motu diurno, quàm annuo. *Quartò* Mercurium, & Venerem ita Solem ſuis itineribus coronare, alterum quidem breviore ambitu, alteram ampliore, ut aliquando ſint Sole ſuperiores, aliquando inferiores. *Quintò*, tres ſuperiores Planetas hunc ordinem ſervare, ut Mars ſit Jove inferior, Jupiter Saturno *Sextò* lineam motûs eſſe helicoiden in ſpiras. *Septimò* proportionem orbitarum & periodorum eſſe harmonicam. *Octavò*, cauſam motricem eſſe Animam Mundi [cave ne intelligas in ſenſu Peripatetico] ideſt phyſicè quidem materiam ſubtiliſſimam, & ſpiritoſiſſimam, Theologicè verò Deum O. M. Quare in vero Ægyptiorum ſyſtemate [quod enim circumfertur non benè diſponit orbitas ſuperiorum, ut eruitur ex Juliano Imperatore [*h*] aliiſque veterum monumentis], nec deſunt cauſæ phyſicæ nec deſiderantur proportiones, nec deficiunt analogiæ, præſertim poſt detectos ſatellites Jovis, & Saturni: quemadmodùm enim illi ſatellites volvuntur motu periodico circa ſuos Primarios tranſlatos per Zodiacum; ita periodi Saturni, Jovis, Martis, Veneris, & Mercurii peraguntur circa Solem tranſlatum per Eclipticam: ut inter ſatellites ille eſt tardior in motu proprio, qui fertur ampliore, & exteriore orbitâ; ita Satur-

(*f*) V. Memor. Acad. Gall. an. 1707.
(*g*) *Plato* in Epinomide.
(*h*) *Julian*. Imper. or. in Solem &c.

(*) Quis prior obſervaverit maculas Solis optimè docet *Gaſſend*. Phyſ. §. II. l. 2. c. 2.

Digitized by Google

Saturnus eſt tardior, quàm reliqui, ſpectato motu proprio: ut illi ſatellites in parte ſuperiori ſuæ orbitæ tendunt ſecundum ſeriem ſignorum ab Occaſu in Ortum, in parte inferiori ab Ortu in Occaſum; ita redditur ratio cur memorati Planetæ primarii aliquando ſint directi, aliquando retrogradi. *Luna* autem, *Sol*, & *Stellæ fixæ* nunquam ſunt retrogradæ in longitudine, neque centrum earum motuum transfertur per Zodiacum; ideò unà cum Luminaribus conſtituunt peculiarem proportionem, quæ intra terminos unius diapente claudi non poteſt: quod advertere Copernicani poterant, antequam obiicerent Telluris immotæ aſſertoribus proportiones inter quadrata temporum periodicorum, & cubos diſtantiarum a centro motûs. Cum itaque Copernicanum ſyſtema natum cæteroquin in Italià cum Philolao, adverſetur plano, & obvio Sacrarum Literarum ſenſui; unanimi, & conſtanti SS. Patrum interpretationi [etiam Auguſtini (†) quem falsò aſſerunt in hac materià fuiſſe dubium] cumque contrarium ſit ſenſuum teſtimonio, & auctoritati Ægyptiorum cum pleriſque Veterum, non eſt admittendum, quando verax demonſtratio fruſtra hactenus quæſita non aſſertur.

IIII. Quæ propè nos turpius eſt neſcire. E Cœlo itaque in Terras deſcendentes non invenimus ſphæram ignis elementaris clauſam ſub concavo Cœli Lunaris: & *quod propter conſuetudinem vocamus ignem* (*l*) *non eſt autem ignis, ſed tantum æther*. In atmoſphærà occurrunt METEORA, quæ longè feliciùs a recentioribus explicantur quàm ab antiquis. Exempli causâ conſtat jam Iridem primariam naſci ex duplici refractione, & unà reflexione radiorum Solarium incidentium in nubem roridam; ejus colores oriri ex inæquali refractione: apparere in formam arcûs, quia radii debent facere eumdem angulum 42. ferè graduum: quâ de causâ & fugit inſequentes, & ſequitur fugientes: deſcendit Sole ſuprà Horizontem aſcendente, aſcendit eo deſcendente &c. Similiter exponuntur nunc perſpicuè cætera, quæ ſub Lunâ apparent Metarſia.

V. In Terris IGNE *quid utilius* (*)? Ejus virium plenior cognitio peperit Pyrotechniam, Chymicam, aliaſque artes magis neceſſarias. Non tamen illius laudes eò efferimus, ut dicamus ope Chymicæ verum aurum confectum fuiſſe. Qui enim id jactitarunt, filios ſuos, quos maximè divites eſſe oportuit in extremà reliquerunt paupertate. Propterèa moraliter loquendo non eſt poſſibile humanæ arti verum aurum efficere, cum adhuc ignorentur peculiaria ejus principia. Ubi advertere libet Platonem quando aſſignat pyramidem igni, cubum Telluri &c., nequaquam habere in mente corpuſculorum componentium figuras, ſed Ægyptiaca illorum Elementorum ſymbola: ſumere autem ſymbola pro re ſignificatâ eſt toto Cœlo aberrare. Calor ignis non facilè cum dolore Animalis comparandus: dolor enim eſt in Animali, non in acie gladii; at calorem eſſe in igne totum genus humanum agnoſcit, dum fatetur ignem eſſe calidum formaliter, non virtute tantùm ut piper; & ne quis exiſtimet hæc nata eſſe in Lyceo; Schola Pythagorica ante Ariſtotelem & Platonem diſtinxit qualitates activas a paſſivis, & in priorum numero recenſuit calorem (*x*).

D VI.

(†) D.. in præf. Aſtr. Theol.
[*l*] *Ariſtot.* I. Meteor. c. 4.
[*] *Ovid.* to. III. p. 57.
[*x*] *V. Ocellum* Lucanum Timæo Locro antiquiorem, ut docet Proclus l. III. in Tim. Plat.

Digitized by Google

VI. AËRIS affectiones nunc metimur menſuris veteribus ignotis, ut calorem, & frigus thermometro, gravitatem, & levitatem barometro, humiditatem ac ſiccitatem hygrometro, denſitatem, & raritatem manometro (*). Vis quoque elaſtica magis in uſum redacta eſt, quàm tempore Heronis. Machina Boyliana ad extrahendum [quantùm fieri poteſt] aërem plures detexit veritates. Antlia pneumatica ad attollendas aquas jam ubique frequens propter ingens ejus commodum: Non igitur ſteriles ſunt ſpeculationes Phyſicæ, quando talia commoda quotidianis uſibus ſubminiſtrant. Ventus eſt aëris agitatio, quæ provenire poteſt a pluribus cauſis: & verè in Phyſicis perſæpe idem effectus, habetur a diverſis cauſis diverſo tempore, neque unica eſt in omnibus.

Aut etiam cumulus multarum, & creditur una.

Propterea non poſſunt omnia explicari per acidum, & alcali, aut per vim magneticam tantùm, aut per ſolum vorticem, aut per ſolam mixtionem particularum &c.: id enim eſt præbere univerſis ægris eamdem medicinam.

VII. AQUARUM fluentium leges poſt Galilæum excultæ, ſi in praxim deducantur, agrorum inundationes tollunt, allevant operarum labores, ac Principum expenſas minuunt in derivandis, vel frænandis fluminibus, in conſtruendis fontibus &c. Cognitis quoque legibus inſidentium humido ſeu fluido ſolui poſſunt problemata de metallis adulteratis, cujuſmodi fuit corona aurea Archimedi propoſita. Quod ſi Matheſis ſibi vindicavit duas haſce facultates Hydraulicæ, & Hydroſtaticæ, debet Phyſicæ earum obſervationes, & cauſas. Ad explicandum autem Maris æſtum, ut & motum perennem aquarum fruſtrà recurritur ad motum Telluris diurnum: quemadmodum nulla neceſſitas recurrendi ad perpetuum miraculum ut ſalvetur origo fontium ex Mari. Quæſtio illa an Elementa poſſint invicem tranſmutari pendet ex vario ſyſtemate circa compoſitionem corporis naturalis, & ſubſtantiæ generationem. Hinc Peripatetici, qui admittunt ignem verè generari de novo, nec ſolùm prodire e latebris, affirmant invicem permutari vulgaria Elementa; negant Atomiſtæ, qui cujuſque Elementi particulis aſſignant peculiares, & perpetuas figuras.

VIII. TELLUREM eſſe ſphæricam, ſuoſque habere Antipodas docuit Phyſica antequam utramque veritatem experientia confirmaret. Qui Scientiam omnem ſolâ æſtimant utilitate, breviſſimâ ſcilicet mercatorum ulnâ, hac immenſas novi Orbis Provincias metiantur, & agnoſcant univerſas Philoſophiæ deberi: eâ Magiſtrâ & Duce novum Orbem detexit Columbus, ſtatutis ſui curſûs carceribus ubi metam veteres Heroës poſuerant. Dum autem dicimus Tellurem ſphæricam, intelligimus phyſicè, non mathematicè. Ex motu ſiquidem penduli nullatenus infertur eſſe figuræ ovatæ ad polos depreſſæ, tamquam eſſet genita ex gyro ellipſis circa minorem axem. An viceverſa ſit figuræ ovatæ oblongæ, ſub polis magis elevatæ, ut axis Meridiani Terreſtris ſit longior, quam axis Æquatoris Terreſtris, ſuadent quidem menſuræ Geographicæ a clariſſimis Viris captæ, ſed non evincunt variis de cauſis. Multò magis obnoxiæ ſunt errori, quæ ex umbrâ Terreſtri in Lunam projectâ deducuntur tum propter inconſtantiam atmoſphæræ,

ac nu-

(*) de hoc ultimo *V. Wolfium* Aërom. n. 151. &c.

Digitized by Google

ac nubium, tum propter exactiorum obſervationum difficultatem. Quare donec certiora occurrant documenta, præſtat rotundam Telluris figuram ſervare, qualem accepimus a majoribus.

VIIII. MIXTUM INANIME offert ingentem ſupellectilem lapidum, marmorum, mineralium, metallorum, gemmarum &c. quorum omnium pretium melius oſtendit Phyſica, quam quævis officina. Quis enim faber magnetis unius pretium, & innumeras ejus proprietates docere poterat? Omnium proprietatum notiſſima eſt, quod acui Chalybeæ affricta eam liberè ſuſpenſam dirigat verſus Telluris polos, ac propterea lineam Meridianam oſtendat. Hinc ortus in Italiâ pyxidis nauticæ uſus. Quia tamen paucis in locis exactè ſuper Meridianâ lineâ dirigitur, ſed alibi minùs, alibi magis declinat ſive verſus Ortum, ſive verſus Occaſum; hinc Hallejus, aliique Viri docti obtulerunt nautis novam methodum inveniendi in medio Mari longitudines: minoris eſſet uſus ſi a Meridianâ non aberraret. Quanquam cùm magnetis *declinatio* ſingulis ferè annis ſit varia eodem in loco, neque conſtanti proportione augeatur aut decreſcat, hæc regula uſui eſſe non poteſt, niſi innoteſcant proximorum temporum obſervationes habitæ in locis, ad quos eſt navigandum. Nec fortè minor fructus ſperari poſſet ex *Inclinatione* acûs magneticæ, quam Patres S. J. in ſuo ad Indos itinere obſervarunt.

X. Regnum VEGETABILIUM non minores opes ſuppeditat, flores, fructus, arbores &c. Quis verò morbus noſtrum obſidet corpus, cui præſens remedium in herbis non inveniatur? Narrant Rabbini datâ operâ exuſtum fuiſſe a Majoribus ſuis opus Salomonis, in quo diſſerebat a Cedro Libani ad Hyſſopum (*m*), quæ egreditur de pariete, nè plebs majorem fiduciam poneret in herbarum viribus, quàm in Deo. At quiſquis plantarum artificium attentiùs conſiderat, conſtanti varietate pro ſpecie uniuſcujuſque admirabile, manifeſtè deprehendet, illud non ex fortuito fluitantis materiæ concurſu oriri, aut è ſucco ſorte oblato; ſed ex proprio ſemine a Supremo Opifice ſummâ Sapientiâ elaborato. Cognitio ergo interior Naturæ ad ſuum deducit Opificem, non abducit ab illius obſequio: niſi fortè ſit aliquod ingenium effræne, quod loco aſcendendi per hanc rerum creatarum ſcalam ad illius Auctorem, cæco furore ſeſe agat præcipitem in casûs abyſſum, aliosve Antiquorum errores.

XI. ANIMALIUM partes, inceſſum, generationem, ac proprietates Regiâ Alexandri munificentiâ adjutus præ omnibus Antiquis illuſtravit Ariſtoteles eoque nomine etiam ab ipſius æmulis commendatur. Quis ergo dexteram Recentioribus porrigere vereatur, quando hæc ipſa accuratiùs obſervant, eorumque rationes reddunt? An quiſpiam neget ſanguinis circulationem, quia vix ullum ejus veſtigium apud Veteres apparet? Præcipuam ſanguinis officinam eſſe cor ut Hippocrates, & Ariſtoteles tradidere, non hepar ut volebat Galenus, nunc certiùs exploratum eſt quàm olim. Fuit ſententia Auguſtini: (*n*) *Omnium rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur multa quædam ſemina in ipſis corporeis hujus Mundi Elementis latent*. Omnia naſci vel ex ſemine, vel

[*m*] III. Regum c. 4. [*n*] *Auguſt.* pr. de Trin. c. 8.

vel ex ovo fœcundato, vel ex ſurculo, vel ex ſtolone &c. pluribus experimentis confirmavit Franciſcus Redi de Novâ Philoſophiâ optimè meritus. Non tamen in dubium vocare debemus Brutorum animantium Animas, quæ quamvis a materiâ recedant ſupra cæteras corporeas formas in quo ſenſu dici poſſunt in phraſi veterum participare aliquem *modum immaterialitatis*, ſive eſſe minùs materiales; tamen cùm neque ſint rationis capaces, neque creatæ ex non extantibus, ſed ex præexiſtente materiâ, neque ſint immortales, ſed naturâ ſuâ obnoxiæ corruptioni, neque Naturæ viribus valeant exiſtere a corpore ſeparatæ; omninò corporeas cenſemus, ſive quod idem eſt dicere ordinem unionis intrinſecæ [ut Scholæ loquuntur] cum impenetrabili, ſine quo nequeunt naturaliter exiſtere. Quem fructum ex notitiâ Animalium percipere liceat, nemo non videt, quando ingenium humanum Scorpiones, & Viperas tranſtulit in uſum medicinæ.

XII. Viventium Anatomè, ac præſertim humani corporis Divinam Sapientiam demonſtrat maximam in minimis. Quem verò non pudeat ignorare ſeipſum, quæque in inferiore ſui parte agantur: quomodo fiat nutritio, augmentatio, viſio, auditio, cæteræque ſenſationes? Quâ in re aliquos errores Veterum corrigere debemus, ut cum putabant viſionem fieri per radios ex oculis prodeuntes, quando contrarium evenit quia radii corporis lucidi, ſive illuminati pervadunt pupillam oculi, & in fundo oculi depinguntur: quæ imago ſi perſpicuè non ſit depicta ut contingit admoventi papyrum foco alicujus vitri convexi, ſignum eſt pingi vel ante, vel poſt ſuum focum. Hinc cognitâ cauſâ diverſi vitii quo laborant Myopes, & Presbytæ, medemur utriſque, oblatis diverſis perſpiciliis. Et beneficia Microſcopii, ac Teleſcopii quis ſatis recenſeat? prioris ope deteximus plura eſſe Animalia minora mole infrà Acarim minimum apud Veteres, quàm mole majora uſque ad Elephantem. Poſterioris auxilio Aſtronomi

Admovere oculis diſtantia Sidera noſtris (o)
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.

Adhuc tamen erroris argui non poteſt, quod Veteres docent, Lucem eſſe aliquid diſtinctum ab effluviis corpuſculorum, à motu vertiginis in particulis corporis lucidi, & à preſſione, vel vibratione medii: præſertim cum intendi, ac remitti poſſit in dato quocumque corpuſculo, & à Deo condita ſit antequam ullus oculus exiſteret. Nihilominus ad explicandos colores nulla videtur neceſſitas qualitatis diſtinctæ a complexo ex texturâ partium conſtituentium ſuperficiem corporis colorati, & luce variis modis reflexâ, refractâ, aut aliter modificatâ. Nam præter reflexionem, & refractionem, notatum eſt primùm a P. Fran. M. Grimaldo S. J. lucem circa viciniam corporum denſiorum pati aliquam inflexionem: quod deinde (p) Iſaacus Nevvtonus, aliique Viri clariſſimi approbarunt. Atque ut omnia paucis complectar, Optica, Dioptrica, Catoptrica, Acuſtica &c. huic parti Phyſicæ ſuos debent natales. Reliquæ AFFECTIONES VIVENTIS SENSITIVI, præſertim quæ perturbant humorum concordiam ejuſmo-

com-

(o) *Ovid.* primo Faſtor.

(p) *Iſ. Nevvton* in Nat. Phil. Princip. Math. lib. 1. prop. 96. in ſcholio.

Digitized by Google

di ſunt, ut qui earum cauſas ex Phyſicâ non didicit, nequeat eſſe Medicus. Is (q) qui Spiritus animales negavit impugnatur a Clar. Valliſnerio, aliiſque Recentioribus.

XIII. Ex toto tractatu de Corpore animato nulla pars nobilior, nulla magis neceſſaria, ſive ad rectam Ethicam, ſive ad veram Religionem tuendam, quàm ea quæ agit de ANIMA RATIONALI; Eam eſſe incorpoream & immortalem multiplici ratione naturali demonſtratur. Equidem nonnulli trahere conati ſunt in contrariam partem mutilatos quoſdam Ariſtotelis locos; At [r] *Ariſtoteles non ſolùm docet, ſed etiam demonſtrat immortalitatem Animæ intellectivæ, &c.*

——— tum quod ſit corporis expers,
Tum quod cuncta valet cognoſcere, tum quod ab amplâ
Luce ſerenatur Veri, non læditur unquam. (*)

Ex adverſo viginti octo argumenta, quibus animos noſtros naſci, & interire cum corporibus probare conatur Lucretius tam levia ſunt [laborant enim falſo ſuppoſito] ut non facilè inveniatur Scholaſticus, qui dignatus ſit ſingulis reſpondere, aut pueris ſuis ſolvenda proponere. Ea ad pauca capita revocantur, & ſolvuntur in Gaſſendi Epitome [s].

XIIII. Ex pluribus obſervationibus anatomicis notatum eſt multos organorum externorum nervos non pertingere ad conarion ſive glandulam pinealem, neque communicationem habere cùm illâ; ſæpè hanc apparuiſſe conſperſam venulis, & lapillis ſine ullâ mentis læſione. Imo D. Mery exhibuit Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſi [t] puerum paulò ante natum, & optimè formatum, qui poſt mortem diſſectus, apparuit carere cerebro materiali. Anima ergo in eo puero per omnes Menſes, quibus hic vixit a ſuâ conceptione alium thronum habebat diſtinctum a glandulâ pineali. Falſum proinde hanc eſſe unicam SEDEM ANIMÆ RATIONALIS, ut volebat Carteſius. Neque illi aſſentitur Gaſſendus, quando contendit Animam eſſe totius Hominis eſſentiam: Anima enim eſt Forma, & pars humani Compoſiti, ac propterea de illâ hìc diſſeruimus ubi agitur de Mundo corporeo, quamvis de eâ liceret agere in Metaphyſicis ubi de ſpiritibus, ut præſtant non pauci Recentiores. Multò minus admitti poteſt Eſſentiam Animæ in actuali cognitione conſiſtere, quid enim cogitabat Anima in utero Matris? Enim verò non eſt recedendum a Majorum veſtigiis ubi illi non deprehenduntur erraſſe [per quintum Axioma] ſuperiora autem axiomata & poſtulata vix unquam hìc allegamus, quia in tam parvo opere facile per ſe quiſque poteſt eorum reminiſci.

XV. In omni ſcientiarum, vel aſſecutione, vel uſu neceſſariæ ſunt Animæ facultates: idcircò expendendæ diligenter POTENTIÆ, HABITUS, ET ACTUS ANIMÆ RATIONALIS. *Potentiæ Animæ ſecundum exercitia ſunt multæ, ſecundum eſſentiam unum ſunt in Anima,*

[q] *Liſter* lib. de humoribus c. 50.
[r] *Sylv. Maur.* p. V. Phil. q. 32. quoad quartum.
[s] *Berner.* to. 6. l. 4. c. 2. Vide & *Creech* ad Lucretii lib. III.
(*) Intellige poſtquam eſt Veritatem aſſequuta: in aſſecutione autem propriè patiuntur organa ſenſuum etiam internorum.
(t) Hiſtor. Acad. Scient. Gall. a. 1704. ſimilem exibuit D. *Favoel* a. 1711.

Digitized by Google

mâ, [*u*] *& idem cum ipſâ. Nam Anima dum vivificat corpus Anima eſt; dum intelligit mens;* [*x*] *dum recolit memoria, dum aliquid ſentit, ſenſus:* quamquam ad ſentiendum indigeat organo corporeo, ut oculo ad videndum, non aliter ac lyricen indigeat lyrâ ad ſonandum; quia verò intellectus vix latum progreditur unguem ſine conſortio phantaſmatis; hinc turbato cerebro, quod eſt organum phantaſiæ, non facilè exercere poteſt intellectus ſuas operationes, quamvis ſit potentia inorganica, unde redditur ratio amentiæ &c. Verbum Mentis, de quo tam multa Veteres nihil affert diſtinctum a cognitione, hæc enim eſt imago, ſive ſpecies expreſſa objecti, & ſimul eſt actus vitalis, [*y*] *utrumque enim iſtorum eſt id, quo quis intelligit formaliter*. Sed hæc, aliaque ſexcenta de Animâ tum quando eſt in Corpore, tum quando manet ab illo ſeparata exponi nequeunt in brevi totius Philoſophiæ delineatione.

(*u*) D. *Auguſtin.* lib. de Spir. & lit. c. 4.
(*x*) *Iſidor.* Hiſp. lib. 2. Etym.
(*y*) D. *Thomas* in pr. D. 27. q. 2. a. 2.

§. V.

§. V.

PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ UTILITAS, ET CONCORDIA

IN METAPHYSICA.

I. ACUMEN *in Metaphyſicis immeritò vellicant* [inquit (*a*) Card. Ptolemæus] *qui ſubtilitatem adeò in Mathematicis perſequuntur: niſi credant humano vitio magni momenti eſſe dumtaxat ſua, eaque una propterea curiosè, exquiſitèque tractanda.* Agitur autem in Metaphyſicis [ut obiter eorum OBJECTUM, ſive Materiam inſinuemus] de Ente immateriali, tum ut præciſo à Materiâ ſecundum abſtractiſſimos conceptus, proprietates, & generales diviſiones pluribus ſcientiis communes: tùm de Ente ut ſeparato à Materiâ, quales ſunt Angeli, & Deus O. M. Ad hunc igitur totius Philoſophiæ apicem aſpirare debet quisquis peragrato Mundo corporeo *Sapientiam*, *primam Philoſophiam*, & Deum ipſum inquirit.

II. Quamvis ENS per excellentiam ſive ut Græci loquuntur *κατ' ἐξοχὴν* ſoli Deo tribuatur juxta illud *QUI EST miſit me ad vos* (*b*); tamen ſi ſumatur Metaphyſicè pro eo, quod eſt *potens exiſtere ſive non involvens contradictionem in ſuis prædicatis* univocum dici poteſt reſpectu Dei, & Naturæ creatæ, Subſtantiæ, & Accidentis; quatenus ratio importata per nomen eſt in omnibus eadem, quantùm vi præcisè illius cognitionis apparet. Quod ſi ſumatur Phyſicè, Ens dicendum erit analogum, Deus enim habet propriam eſſentiam, quæ non continetur ſub genere phyſico, quaſi ſit aliqua ſpecies prædicabilis de pluribus: accidens quoque per ſe non exiſtit, ac propterea eſt Entis Ens. Hoc pacto conciliare licet partes diſcordes.

(*a*) C. Ptol. in Præfat. ſuæ Philoſ. (*b*) Exodi cap. 3.

Digitized by Google

III. Quid refert utrùm DIFFERENTIÆ ENTIS præſcindant ab Ente reali nec ne? Inter alia refert ad demonſtrationem Dei quaſi a priori, vel etiam ex terminis, ut cognoſcamus num eam in hac vitâ habere poſſimus. Si enim *Aſeitas* formaliter eſſet Ens reale, ſive non involvens contradictionem, eo ipſo eſſet poſſibilis. Datâ autem poſſibilitate Dei, ſtatim infertur ejus exiſtentia. Neque quiſquam ex nobis expectet ut fructus univerſos oſtendamus alicujus Doctrinæ, cùm ſolum aliquem inſinuemus: quemadmodum & paucas theſes controverſas afferimus in quibus unuſquiſque abundat in ſenſu ſuo, quò detur locus Arguentibus.

IIII. Quod pertinet ad POSSIBILITATEM, admittenda eſt non ſolùm extrinſecâ, & activa reſpectu alicujus potentiæ; ſed etiam intrinſeca, paſſiva, & abſoluta *ex habitudine terminorum, qui ſibi non repugnant*, ut ex Ariſtotele optimè monet (*c*) D. Thomas. Quando dicimus: *Alter Mundus eſt poſſibilis*. ſi τὸ *eſt* ſumatur in ſenſu metaphyſico ſic exponitur, *alter Mundus non includit repugnantiam in ſuis prædicatis; ſivè alter Mundus ſi exiſteret nullam involveret, aut traheret contradictionem*: ſi verò τὸ *eſt* ſumatur in ſenſu phyſico, facit hunc ſenſum: *datur nunc actu potentia potens producere alterum Mundum*. Jam verò in ſecundo ſenſu enunciat aliquid reipſa Divinum, adeoque verificari debet per aliquid Divinum; in primo ſenſu non enunciat aliquid Divinum, ſed ſolùm habitudinem terminorum in objecto, & per hanc ſolam verificatur, tamquam per formam præſcindendo ab omni attributo Dei. En alia concordia inter Veteres, ac Recentiores oblata iis, qui non amant lites, ſed Veritatem.

V. Eſſe, & exiſtere ità accidit Eſſentiæ creatæ, ut *rationale Animali* etiam juxta Veteres inter quos allegatur D. Thomas (*d*) *rationale* autem reipſa non diſtinguitur ab *Animali*: igitur neque eſſentia ab EXISTENTIA. Juniores ergo hac in re optimis Senioribus non contradicunt. Et verè ſententiæ Juniorum perſæpe ſunt antiquiores antiquiſſimis Seniorum.

VI. Quoniam contrariorum eadem eſt Diſciplina, pertinet ad ſcientiam de Ente agere de non Ente. Ut alia deeſſent emolumenta ex quæſtionibus de IMPOSSIBILI, & CARENTIIS, hæc didicimus: nimirum objectum diſtinctum ab omni poſſibili neque dari, neque eſſe cognoſcibile, ſive caſtigatiùs loquendo inter objecta cognoſcibilia non eſſe ullum quod habeat ea prædicata, quæ illi tribuit cognitio eſſentialiter falſa, adeoque omnem noſtram cognitionem habere pro objecto aliqua intrinſecè poſſibilia, quæ a cognitione pravâ malè combinantur, aut diſtinguuntur. Propterea *non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum*, (*e*) *quia id, quod contradictionem implicat, verbum eſſe non poteſt, quia nullus intellectus poteſt illud concipere*. Similiter carentiæ, & negationes formales rerum contingenter non exiſtentium nihil ſunt: *ac ſi locum aliquem, qui lumine caret dicamus tenebras*, (*f*) *quod nihil eſt aliud, quam lumen non habere*. Propterea etiam ad mentem Veterum reiici poſſunt Entia diminuta, abuſiva &c: multò magis Ens rationis metaphyſicum [diſtinctum a poſſibilibus

(*c*) D. *Thomas* 1. par. quæſt. 25. art. 3.
(*d*) Idem in prim. Diſt. VIII.
(*e*) D. *Thom.* 1. par. quæſt. 25. art. 3.
(*f*) *Auguſtin.* lib. de vita beata c. 3.

Digitized by Google

ſibilibus male cognitis) non fundatum, ſive Ens prohibitum juxta phraſim Mayronis: hujus enim Mundi fictitii nulla neceſſitas.

VII. Inter Diviſiones Entis præcæteris controvertitur Diviſio in abſolutum & relativum. Ad ſalvandam RELATIONEM non videtur Recentioribus opus eſſe ſuperaddere termino, & rationi fundandi adæquatæ novam entitatem: quemadmodùm neque compleri per cognitionem: cognitio enim non conſtituit eas relationes, quæ dantur etiamſi nullus humanus intellectus cogitaret. Veterum definitiones non ſunt contrariæ huic Concluſioni, ſed intelligendæ in ſenſu formali.

VIII. Ordo rerum univerſitatis poſtulabat, ut quemadmodùm datur corpus ſine ſpiritu ut ignis: corpus non ſine ſpiritu ut homo; ità daretur ſpiritus ſine corpore. Tales ſunt ANGELI, ſive Intelligentiæ, quæ quamvis ſint ſubſtantiæ incorporeæ completæ, ſimplices, intellectivæ, ingenerabiles, incorruptibiles &c.; tamen per ſe non excedunt ordinem naturæ; unde locum habent in Philoſophiis, nec ignotæ fuerunt ſapientioribus Ethnicis. Quod ſi non omnes Patres excuſare licet in hac materià, quorum aliqui tenuiſſimum corpus Angelis tribuerunt, id probat ſolidioris Philoſophiæ principia etiam Theologis eſſe neceſſaria. Inter placita controverſa, dicimus dato quocumque Angelo Deum poſſe creare alios intrà eamdem ſpeciem. Doctorem Angelicum, quem veneramur quàm qui maximè, optimè explicat ejus Interpres Ferrarienſis Generalis Magiſter Ord. Prædicatorum: non enim quotieſcumque S. D. negat aliquid fieri poſſe, intelligit repugnare metaphyſicè: unde *non procedit* [ejus] *ratio ad probandum non poſſe eſſe plures ſubſtantias intellectuales in eadem ſpecie, tamquam ſcilicet implicet contradictionem, quia hoc non eſt de mente D. Thomæ, ut haberi poteſt ex Tractatu contrà Averroiſtas &c.* (*g*)

VIIII. Eruditus recentior (*h*) oſtendit pleroſque eorum qui tanquam Athei audiunt reverà ſolum negaſſe Polytheiſmum, ſive Deos, qui tum temporis ab Ethnicis colebantur, homines nimirum per ſummam ambitionem, & adulationem relatos inter Deos. Si ergò vix ullum Atheum invenire eſt in anteactis ſæculis, cur afferuntur in Scholis demonſtrationes de DEI EXISTENTIA? Multis de cauſis. Primùm quia ſicut in Geometrià non omittuntur demonſtrationes earum veritatum, quas nemo negat; ità hìc cum quæramus non ſolùm fidem, ſed etiam ſcientiam rerum nobiliſſimarum, quarum princeps eſt Supremus Intellectus, ipſum Pulchrum, ipſum Bonum, iniquè ageret cum Auditoribus ſuis, qui eos hac parte ſcientiæ privaret. Secundò quia præcipuus Philoſophiæ labor eſt in indagandà cauſà effectuum, & rerum naturalium, ut ille beatus prædicetur, &

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas (*i*):

ſed Deus eſt Auctor Naturæ, & prima Cauſa rerum omnium: debemus ergò ejus exiſtentiam, & Attributa [præſcindendo ab ordine Gratiæ, & Gloriæ] rerum naturalium ſtudioſis explicare, ac demonſtrare: Tertiò quia ſicuti in arce optimè munità, atque inſtructà debet eſſe armamentarium adverſus

(*g*) *Ferrarienſ.* in ſecundum contra Gentes c. 93.

(*h*) P. *Mourgues* in plano Theologiæ Pythagoricæ gallicè edito.

(*i*) *Virgil.* 2. Georgic.

Digitized by Google

verſus omnis generis hoſtes, & ἰατρεῖον [*] ſive medicamentorum officina, plena antidotis adverſus quoslibet morbos; ita in arce Sapientiæ debent præſto eſſe arma, & pharmaca adverſus Atheos ſi qui unquam erumperent. Hydram non timebit Hercules jam vir, quando in cunabulis ſerpentes obterere didicerit. Neceſſe eſt etiam omnem excuſationem impiis eripere, ſi cùm cognoverint Deum, non ſicut Deum glorificaverint. Mitto exempla Patrum, & omnium fere Philoſophorum, ſive Sapientum poſt Mercurium in Ægypto, poſt Anaxagoram in Græciâ, poſt Pythagoram in Italiâ, poſt Carteſium in Galliâ &c. Huccine progredi potuit diſcordiæ libido, ut ſcientiam Dei non nemo invideret Philoſophiæ! Itaque exiſtentia Dei multiplici medio demonſtratur: inter demonſtrationes approbamus etiam eam, quæ petitur ex motu gravium accelerato, dummodo amici viri mens bene percipiatur.

X. Qui concedit Deum exiſtere, & negat ejus PROVIDENTIAM, aut detrahit ejus Potentiæ, aut Sapientiæ, aut Bonitati (*k*) *Etenim quis Operator negligat operis ſui curam? quis deſerat, & deſtituat quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe? cum aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit; non curare quod feceris ſumma inclementia.* Alia tamen eſt Providentia generalis, quâ res etiam inanimes diſponit, atque ordinat: alia ſpecialis, quâ naturas rationales & docet, & movet, & præmio, vel pęnâ afficit. *Ea eſt autem omnium qui negant Providentiam ſors, ut in Ethicis vana doceant, in Phyſicis abſurda* (*l*)

XI. Immediatus Dei CONCURSUS ad omnes, & ſingulos effectus creatos & eſt poſſibilis, imò neceſſarius, & ſtat cum noſtrâ Libertate, & ex communi ſapientum conſenſu [paucis exceptis] eſt dignior Deo: adeò ut D. Hieronymus (*m*) cenſeat oppoſitam ſententiam recidere in errorem Pelagii docentis, Deum ſemel collato nobis Libero Arbitrio ulterius non operari nobiſcum etiam quoad actiones naturales. Patribus conſentiunt Recentiores, ut Suarez teſtetur eamdem contrariam ſententiam (*n*) reiici ab omnibus probatis Theologis tamquam errorem in Fide. Quare nemo eſt in ſcholâ noſtrâ, qui negaverit bonum uſum Libertatis eſſe a Deo, præſertim ad eos actus, ad quos potioribus titulis concurrit Deus, quam voluntas creata.

XII. Cum Petrus æquè naturaliter naſci potuerit ex Parentibus Infidelibus, ac Fidelibus: ſimiliter cum in ſpecie qualibet v. g. Amoris & gradu intenſionis ſint poſſibiles infiniti actus amoris omninò ſimiles, veroſimilius eſt ſolum Deum DETERMINARE IN INDIVIDUO. Hoc decretum in ordine ad Cauſas Liberas ſic poteſt tendere *nolo concurrere cum hoc libero Arbitrio ad alium Amorem præter Amorem A, ad aliud odium præter odium A, ad aliam omiſſionem amoris, vel odii præter omiſſionem A*. Hoc enim Decretum ſtat cum Libertate indifferentiæ, quia non eſt connexum cum uno determinatè extremo libertatis, ſed conjun-

gibile

(*) Oſymandes Rex Ægypti Bibliothecæ ſuæ inſcripſit: ψυχῆς ἰατρεῖον *Officina medicamentorum Animi:* Diodor. ſic. l. 2.

(*k*) *Ambroſ.* lib. 2. de offic. c. 13.

(*l*) *Creech* ad lib. V. Lucret.

(*m*) D. *Hieron.* epiſt. ad Cteſiphontem.

(*n*) *Suar.* diſp. 22. metaph. & lib. 1. de Concurſu Dei.

Digitized by Google

gibile cum utroque: exiſtentibus autem cæteris prærequiſitis dat potentiam proximam tum contrarietatis, tum contradictionis, & negat potentiam proximam ad alia individua omninò ſimilia ejuſdem ſpeciei, & intenſionis pro eodem inſtanti.

XIII. Ex noſtro ſyſtemate circa CONCORDIAM DIVINÆ VOLUNTATIS cum LIBERTATE CREATA facile ſolvuntur præcipui nodi. Primò quomodo Deus habeat perfectum dominium in voluntatem creatam, ſalvâ libertate indifferentiæ. Secundò quod Deus det Cauſis creatis poſſe agere, moveat, præmoveat [non tamen in ſenſu M. Bannez] applicet cauſas ſecundas ad agendum, & Cauſæ ſecundæ agant in virtute Primæ. Tertiò quomodo Actus bonus præcipuè debeatur Deo, etiam ſiſtendo intra ordinem actuum naturalium. Quartò quomodo actus malus ſit imputabilis ſoli Creatæ voluntati. Ex his ſalvantur omnes loquutiones Conciliorum, & Patrum a patronis contrarii ſyſtematis hactenus congeſtæ.

XIIII. Nam quemadmodum qui negat hircocervum, non negat hircos & cervos; & qui negat Verbum eſſe inferius Patre, non negat Verbum; ita quicumque negant PHYSICAM PRÆMOTIONEM, non negant Divinas motiones, præmotiones, applicationes, prædefinitiones, prædeterminationes &c, aptas, & congruentes cuique mobili; ſed negant talem ſpeciem motionis quæ habeat prædicata famoſa, quæ ſolent ab ipſis impugnari [idem intelligere licet de Auctoribus admittentibus Divinas motiones, præmotiones: non enim eo ipſo admittunt talem ſpeciem motionis controverſæ]. Nam ſi admittatur illud complexum attributorum in præmotione, videtur ſequi ruina Libertatis humanæ, & in ordine ad actus malos repugnare Sanctitati Divinæ. Quod ſi quis videre cupiat an ſint pauci, qui nobiſcum talem præmotionem negant, præter trecentos auctores extra noſtram Scholam citatos ab Arandà, præter eos Doctores prædeterminantes qui illam negant ad actus malos, præter Univerſitates ſatis notas, præter omnes ferè Antiperipateticos qui negant qualitates occultas, præter plures fœderatos Ordines; ſolos intueatur Scotiſtas à majorum ſuorum Subtilium ingeniorum veſtigiis minimè diſſidentes: quippe ut omnium nomine loquitur Maſtrius (o) *Phyſicam prædeterminationem Scotus non ſolùm in cauſis liberis ut libertati præjudicialem inficiatur, ſed etiam in cauſis ipſis naturalibus cenſet omnino ſuperfluam, ut habet in IV. Diſt.* 1. *q.* 1. *&c.*

XV. Ut in Muſicà ſunt quidam ſoni inconcinni; ita in Philoſophià ſunt quædam Placita, quæ non poſſunt conciliari. Proindè Phyſicæ prædeterminationis Patronis non admodum favent, qui retento nomine deſtruunt ejus eſſentiam, ut aliquid concedere utrique parti videantur. Hinc ſi dicatur præmotio phyſica non eſſe neceſſaria ad actus liberos naturales, & multò minus ad malos, tollitur primum ejus prædicatum, quod ſit *neceſſaria ad omnes actus*. Si ponatur eſſe ſolùm connexa moraliter, tollitur ſecundum ejus prædicatum quod ſit per ſe *Metaphyſicè connexa* cum uno determinatè extremo libertatis. Nec deeſt, qui præmotionem non diſtin-

(o) *Maſtrius* in pr. Diſp. III. quæſt. 3. num. 75. ubi præmiſerat: *Voluntatem non prædeterminari &c. eſt communiſſima opinio extra ſcholam D. Th.*

Digitized by Google

diſtinguat ab actione Creaturæ prout procedit tum a Deo, tum a Creaturâ: quæ actio *ſi* ſit vitabilis Creaturæ, tollitur tertium prædicatum phyſicæ præmotionis quod in ſuâ entitate ſit *libera ſoli Deo*: ac propterea falſum eſſet eam eſſe *inimpedibilem* ne adſit, *neceſſarium*, & *inacquiribilem* pro libito quando non adeſt, *connexam* & in ſuâ entitate *inevitabilem* quando adeſt. Mitto, quod actio Creaturæ non eſt illa *qualitas occulta* quæ controvertebatur. Itaque PRÆMOTIO SOLO NOMINE contenta placere non poteſt Doctoribus Prædeterminantibus.

Neque placere poteſt contrariæ partis Doctoribus, quia hi non impugnant nomen, ſed rem ideſt complexum ex ſuperioribus, aliiſque prædicatis: atque utuntur argumentis communibus tam actui naturali, quam ſuperno. Cum igitur in Diſciplinis cohærenter ſit ſentiendum, prædicta media opinio non videtur eſſe admittenda. Id enim potiſſimum habendum præ oculis in quovis Philoſophiæ ſyſtemate, ut una Concluſio non pugnet cum aliâ, ſed concors ex omnibus ſententiis diverſis quidem, ſed non adverſis reſultet Harmonia: juxta exemplar ſupremi Opificis, cujus ſapientia *quemadmodum Muſicus, rerum univerſitatem ut lyram tenens, & aërea Terrenis copulans, & Cœleſtia aëreis, univerſaque cum ſingulis coaptans, unum Mundum, Mundique unum ordinem rectè & congruenter abſolvit* (p).

(p) *D. Athanaſius* apud P. D. Bartoli in Recreatione Sapientis c. 5.

§. VI.

126

§. VI.

PHILOSOPHIÆ VETERIS AC NOVÆ UTILITAS, ET CONCORDIA IN ETHICIS.

I. HÆC eſt pars illa Philoſophiæ, quæ docet mores componere, familiam gubernare, rempublicam gerere: hæc hominem ad felicitatem perducit per optimum liberi Arbitrii uſum, accenſis legum facibus, quibus dirigatur, frænatis animi motibus, expulſis vitiis, inſertis virtutibus [en tibi illius MATERIAM, & SCOPUM]. Hinc meritò ſummis laudibus ab omni Antiquitate celebratur. Unus pro cunctis audiatur Romanæ eloquentiæ Parens, qui cùm magnâ ſuorum temporum calamitate jactatus in eam velut in portum ſe recepiſſet, his verbis exornat (*a*) ò *vitæ Philoſophia Dux*, ò *virtutis indagatrix*, *expultrixque vitiorum*, *quid non modo nos*; *ſed omnino vita Hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu Urbes peperiſti*; *tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti &c: tu inventrix legum*, *tu magiſtra morum*, *& diſciplinæ fuiſti*: *ad te confugimus*, *a te opem petimus &c.*

X. FELICITATEM & beatitudinem omnes cupiunt, ſed quàm pauci invenerunt! Nunc paſſim docetur eam reponendam in cognitione, & amore Summi Boni, noſtri ultimi Finis: non in voluptatibus, honoribus, divitiis &c: quia capacem Deo Animam quidquid Deus non eſt, occupare poteſt, ſatiare non poteſt. Hanc perennem Philoſophiam a primis Patriarchis deductam in ſummis Ethnicorum tenebris conſervatam accepimus. Etenim *Plato Dei hujus imitatorem*, *cognitorem*, *amatorem*, *dixit eſſe ſapientem*, *cujus participatione fit beatus* (*b*). Et ante Platonem Mercurius cum ſtatuiſſet in ſolo Deo verum Bonum, & veram pul-

(*a*) *Cicero* V. Tuſcul. ſub. init.

(*b*) *Auguſtin.* VIII. de Civ. c. 5.

Digitized by Google

pulchritudinem reperiri: ſi *Deum quæſieris*, inquit, *Pulchritudinem ipſam quæres: quæ tandem ad id ferat unica via eſt Pietas Cognitioni conjuncta*. (c) Quod ſi Hermeticæ ſapientiæ interpres Auctor Pœmandræ eſt ſuſpectus; *De Bono ſic ſentiunt* [Ægyptii Sacerdotes] *Eſt Bonum Divinum* (d) *nempe Deus ante omnem intellectum: eſt & aliud humanum, nempe conjunctio* [a Galeo ſine ſcrupulo vertitur *Unio*] *cum ipſo. Et hoc quidem Bytis ex Mercurii libris eſt interpretatus*. Siquidem *Mercurius etiam hanc ad ſuperiora viam tradidit, eamque Bytis propheta* [Sacerdotum Princeps] *inventam in ſacrariis Sain in Ægypto Hieroglyphicis ſcriptam Regi Ammoni expoſuit* (e).

II. Cùm igitur vera Philoſophia per omnes rerum creatarum gradus alliciat, atque elevet Auditores ſuos ad ſupremi Opificis cognitionem, conjunctionemque cum ſummo bono, nemo timere debet, ne abducat animum a Divinorum contemplatione, dummodo per hanc rerum creatarum ſcalam aſcendatur, neque vitio ejus, qui deducitur fiat lapſûs occaſio. Propterea poſtremam hanc partem de BEATITUDINE & ACTIBUS HUMANIS, de VIRTUTIBUS, & VITIIS, de JURE, JUSTITIA, & LEGIBUS, ſibi vendicavit Theologia, ad cujus limina deduximus adoleſcentem. Cęterùm cui bono Sapientia, præclariùs quàm alius quiſquam oſtendit Salomon, quando illam cęteris poſthabitis a Deo poſtulavit: *Optavi & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ: & præpoſui illam Regnis, & Sedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi OMNIA BONA pariter cum illâ* [audiant longè, qui non ſatis æſtimant pretium Sapientiæ] *& innumerabilis honeſtas per manus illius .... & ignorabam quoniam horum omnium Mater eſt .... infinitus enim eſt theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei* (f). Vera enim PHILOSOPHIA NIHIL ALIUD EST, QUAM DIUTURNUM SAPIENTIÆ CONSILIUM, QUOD ÆTERNUM AMBIT AMOREM (g).

(c) *Mercur.* apud Auctor Pœmandræ c.6.
(d) *Jamblych.* lib. de Myſter. §. X. c. 7.
(e) Idem ibid. §. VIII. c. 5.
(f) Sap. VII.
[g] *Clem. Alex.* in Protreptico. Confer *Auguſtin.* VIII. de Civ. c. 1. ubi ait *Verus Philoſophus eſt Amator Dei*.

Propugnabuntur publicè Florentiæ in Templo S. JOANNIS EVANGELISTÆ PATRUM SOCIETATIS JESU
Anno 1725. *Menſe Die Hora*

Digitized by Google

Digitized by Google